

QVODLIBET  
DISPVTATIO  
SECUND A.  
*De Ente intellectuali.*

QVÆST. VNICA  
QVODLIBETI X.

*Vtrum in entibus intellectualibus idem possit esse perfectio & perfectibile?*

Ad hanc questionem spectat difficultas de compositione rei ex esse & essentia, quam vide cum suis auctoribus quæst. 7. quodl. primi. Item difficultas de compositione Angelorum ex materia & forma, quam vide discussam apud Aegid. in 2. d. 3. p. 1. q. 1. a. 1. & cum suis auctoribus suprā q. 8. sed vel maximè debet hæc quæstio determinari (ut patet ex texu) ex resolutione alterius questionis, qua queritur, an Angeli sint compositi ex genere & differentia? quām habet Aegidius sup. in 2. art 3. Argent. 2. d. 3. q. 1. a. 3. Henric. Gand. quodl. 7. q. 7. Item ex illa, qua queritur, Vtrum in Angelo possibilis sit composicio purè spiritualis ex forma & materia spirituali? quām habet Arg. d. 2. sup. q. 1. a. 1. D. Thom. 1. p. q. 50. a. 2. Scotus quodl. 9. Durand. 2. d. 3. q. 1. Aureol. 2. d. 3. quæst. 1. a. 3. & multis citatis, Amicus de Angelis d. 3. fect. 3.

Aegidius vero hic ostensò, quomodo idem possit esse prius & posterius seipso? Quomodo possit esse causa sui-ipsius? Item quomodo respectu sui-ipsius possit esse in potentia & in actu? Declarat qualiter natura Angelica possit respectu sui-ipsius esse perfectio & perfectibile? Idq; explicando, qualiter Angelus nō sit purus actus neque pura potentia?



D PRIMVM sic procedebatur: arguebatur, quod in subjectis intellectualibus idem sit perfectio & perfectibile. Nam substantia spiritualis per naturam suam est in genere & in specie: sed cùm habeat naturam simplicem, per idem erit in genere, & in specie. Natura ergo illa, ut collocat Angelum in genere, habebit rationem potentiarum; ut collocat ipsum in specie, habebit rationem actus: sed potentia habet rationem perfectibilis, actus ratione perfectionis:

## QVARTVM.

idem ergo erit perfectio & perfectibile.

In contrarium est; quia, si idem esset perfectio & perfectibile, idem esset potentia & actus: & per consequens, idem posset esse movens & motum; cùm movens, secundum quod hujusmodi, sit in actu; motum autem in potentia: & , per consequens, idem posset esse causa & effectus: & , idem posset esse prius & posterius: quæ omnia videntur inconvenientia.

## RESOLVTIO.

Cum non sit inconveniens dicere, quod certo modo aliquid possit esse prius seipso, causa sui-ipsius, & in potentia, & in actu respectu sui-ipsius: etiam rectè eo modo dici potest, intellectualē substantiam esse perfectionem & perfectibile respectu sui-ipsius.

**R**ESPONDEO Dicendum, quod Quid non sit inconveniens, quod idem seipso sit prius seipso, sit causa sui-ipsius, sit in potentia & in actu respectu sui-ipsius: Non tamen hoc erit eodem modo, nec secundum eandem considerationem. Nam, ut vult, Commentator in 2. Metaph. Materia prius recipit formas magis universales, & medianibus formis universalibus recipit formas minus universales usque ad individuales: quod non posset esse, nisi idem aliter & aliter sumptum esset causa & effectus: esset potentia & actus: esset prius & posterius.

Imaginabimur enim, quod magis universalia de minus universalibus, ut gen. minus minus de specie, non prædicentur denominative, sed essentialiter, ut declarari cipiunt debet in 2. Ethicorum. Sed non prædicto meatus unum de alio essentialiter, nisi sit tibus ut idem cum illo per essentiam: Eamdem versalia ergo rem per essentiam dicit forma magis universalis, & minus universalis. Si ergo materia prius recipit formam universalem, & postea minus universalem; oportet, quod idem sit prius & posterius seipso; una enim & eadem forma, aliter & aliter accepta, erit recepta in materia prius, & posterius; accepta enim sub esse magis universalis se habebit, ut recepta prius: sub esse autem minus universalis, ut recepta posterius.

2. Secundum esse;

Cum prius sit, quod non converterit effendi consequentia.

Quia id, mediante quo aliquid recipitur, est causa, cur illud recipiatur.

Et ita passio est esse. etus actionis,

Et quo modo?

Imò non solum secundum receptionem materiæ : sed quantum ad esse idem est prius & posterior seipso. Nam, cum multis modis dicatur aliquid esse prius altero , hic est unus modus, quod illud sit prius, à quo non convertitur subsistendi consequentia & quia hunc modum habet magis universale ad minus universale: quia bene valet, est homo, ergo animal: sed no e converso: & cū animatio homine non sit aliud, quam homo ( alioquin non essentialiter prædicaretur de ipso) eadem res considerata, ut animal , erit quid prius seipsa considerata, ut homine. Non est ergo inconveniens idem secundum rem , aliter & aliter consideratum, esse prius & posterior seipso.

Sic etiam non est inconveniens, idem secundum rem esse causam sui-ipsis, ut patet in exemplo proposito. Nam si materia prius recipit formas magis universales, & medianibus hujusmodi formis recipit formas minus universales (quia illud, mediante quo recipitur aliquid, est causa quare recipiatur illud) Si forma minus universalis recipitur mediante formâ magis universalî , erit forma magis universalis causa , quòd recipiatur forma minus universalis , & quia eamdem rem dicit hæc forma , & illa; idem erit sui-ipsis causa.

Secundum hunc etiam modum loquitur ille Auctor *sex principiorum*, cùm ait, quod passio sit effectus actionis: constat enim , quòd eamdem rem dicat actio & passio: sed illa res, ut est ab agente , dicitur actio : ut recipitur in passo dicitur passio. quia ergo illa res prius intelligitur esse ab agente, quām sit recepta in passo , eadem res , ut actio, erit prior seipsâ, ut passione, vel eadem res, ut passio, erit posterior seipso, ut actione Rursus quia non intelligitur illa res recipi in passo, nisi quia est ab agente, secundum quod est ab agente erit causa sui-ipsis, secundum quod recipitur in passo: & secundum quod recipitur in passo, erit effectus sui-ipsis , secundum quod est ab agente : secundum hoc verificatur *sex principiorum* dictum ; quòd passio sit effectus actionis. Non solum itaque idem aliter & aliter consideratum est prius & posterior seipso: sed etiam est sui-ipsis causa, vel sui-ipsis effectus.

TERTIO idem aliter & aliter acceptum est in potentia , & in actu respectu sui-ipsis, ut patet in exemplo proposito. Imaginamur enim , quod materia non dicat nisi puram potentiam. Cæteris ergo paribus , quanto forma est materiæ immediatior , tantò est materialior , & per consequens, potentia- lior. Eadem ergo forma considerata ut magis universalis recipitur in materia prior , & est materiæ vicinior , & per consequens, est materialior & potentia- lior. Idem e.g. consideratum univer- saliter erit in potentia respectu sui-ip- sis considerati minus universaliter.

Secundum hunc modum possunt exponi verba Auctoris *de causis*. Quod esse se habeat per creationem : cetera vero per informationem. Nam illud dicitur esse per creationem, quod fit nullo præsup- posito : & quia esse non præsupponit aliquid aliud : quia autem alia præsup- ponunt esse tamquam quid generale & universale : Ideò dicitur quod esse fit per creationem : cetera vero dicun- tur esse per informationem. Nam id, rem ; alia quòd primò recipitur in materia, tamquam propinquius materiæ & vicinius, dicimus esse potentialius : reliqua vero, tamquam à materia longinquiora , dicimus formaliora , licet ergo idem sit in viventibus esse quod vivere; ut dicitur in 2. *De anima* : illa tamen una & eadem res considerata sub modo universaliori , & ut est esse , prius in materia recipitur , & est materialior , quām ut est vivere. Et quia formaliora se ha- bent per informationem ad materialio- ra, vivere se habebit per informationem ad esse. Eadem ergo res , ut est vive- re, & est actus, & est perfectio sui-ipsis, ut est esse.

HIS Omnibus prælibatis, de levi pa- tere potest solutio quæstionis quæsitæ: quia non est inconveniens , quod ea- dem natura Angelica aliter & aliter considerata sit sui-ipsis perfectio: & sit in potentia & in actu respectu sui-ipsis

IMAGINABIMVR autem , ex eo quod dicat Deus actum purum; ita quod non possit in eo sumi ratio generis & speciei , quòd nihil sit per modum po- tentiæ , sed solum per modum actus; ratio autem generis à potentialitate su- matur: materia vero dicat puram po- tentiam pura.

Quòd in potentiæ;

Quanto eam formæ vicinio , tanto po- tentia- lior.

Sicut est universa- lior respectu sui min- us universalis.

Et id est dicitur esse per creationem.

Resolvitur quæstio di- rectè.

Deus est a- ctus purus.

Materia po- tentia

Omnia in  
termedia  
partim  
actus par-  
tim poten-  
tia.

Er quo-  
modo?

tentia. Cætera verò infra primum principium, & supra primam materiam: nec actum purum dicunt, nec potentiam puram: sed dicunt actum admixtum potentiaz, potentiam admixtam actu. Natura ergò Angeli nec est omnino actus, nec omnino potentia: quia nec est ipsum esse separatum; imò est in potentia ad esse: nec est ipsa materia: sed est quædam forma, sive quædam actus in potentia ad ulteriorem actum; ut, ad esse: prout ergò natura Angeli est quædam forma, & quidam actus habet rationem actualitatis: sed prout hujusmodi actus est in potentia ad ulteriorem actum, habet rationem potentialitatis.

Secundùm hoc ergo sumetur in hujusmodi natura ratio generis & speciei: non quòd ex ipsa natura sumatur ratio generis, & ex esse ratio speciei, vel differentiaz (quia definitio, & definitionis partes, ut genus & differentia, & etiam ipsum definitum, ut species, omnia pertinent ad naturam rei & ad quidditatem ejus: esse autem est extra naturam & quidditatem; ideoque nihil eorum nominari potest) sed ex eadem natura, aliter & aliter considerata, sumetur ratio generis, & speciei, & differentiaz.

Imaginabitur autem, quod hoc sit commune omnibus substantiis separatis, quod habeant quandam potentialitatem admixtam: idq; quia ab alio habent esse, & sunt in potentia ad esse: differenter tamen, secundùm quod hæc substantia separata, vel illa sit hæc forma vel illa: quia esse recipitur in re secundùm modum naturæ rei: prout ergò substantia separata est alia & alia forma, & habet aliam & aliam naturam, aliter & aliter recipit esse. Ista ergò potentialitas, quæ est communis omnibus substantiis separatis specificatur, & diversificatur ex alio & alio modo actualitatis, vel ex alio & alio modo formæ.

Vnde sumatur ratio generis, speciei, & differentiaz in rebus?

Ex potentialitate itaque, in qua omnes separatæ substanzæ communicant, poterit sumi ratio generis: ex actualitate autem, in qua diversificantur, poterit sumi ratio speciei, & differentiaz; aliter tamen & aliter: quia ex actualitate secundum se poterit sumi ratio differentiaz: ex actualitate autem admixta

potentiaz ratio speciei. Si ergò esset nobis plenè nota natura substantiarum separatarum videremus, quomodo esset ibi potentialitas, & actualitas? quia natura illa simplex est, & non habet partem & partem: unde ex eadem tota natura, ut habet potentialitatis rationem, sumetur ratio generis; ex eadem tota natura, ut habet rationem actualitatis, sumetur ratio differentiaz: & ex eadem tota natura, ut habet rationem utriusque, sumetur ratio speciei. Nam componitur species ex genere, & differentia, tamquam ex actu & potentiaz: quare, si ratio generis sumatur à potentialitate, differentia ab actualitate, oportet, quòd sumatur speciei ratio ab utroque. Erit ergo species actualior quam genus, quia potentia, & actus plus habent de actualitate, quam potentia tantum: & erit potentialior, quam differentia; quia potentia, & actus plus habent de potentialitate, quam actus.

Differenti ergò modo sumetur ratio differentiaz in substanzis separatis, & in substanzis materialibus: ibi enim, cum concipiatur sint naturæ simplices, ratio differentiaz sumitur à tota natura: & sicut ratio generis & speciei, ita quoque differentia & in mat. ibi erit ex tota natura, ut habet rationem actus. Si ergò genus, species, & differentiaz essent nobis nota, ut reperiuntur in substanzis separatis, caderet differentia in rectâ lineâ prædicabili, sicut species, quia diceret totum, quemadmodum & species. In substanzis verò materialibus, ubi differentia est per partem formalem, non sumitur ratio differentiaz à tota natura; sed à parte: ut, animatum, quod est differentia, non significat nisi animam; sicut album non significat aliud, quam albedinem: anima autem non dicit totam natu- illa non ita ram; sed partem naturæ. Inde est, nobis cog- quavis nitz. quod in constitutione prædicamenti ex rebus materialibus differentiaz cadant ex latere, & prædicentur denominati- vè. Sic ergò esset, si nobis essent hæc finiatur nota in substanzis separatis: verum, per negationem, quia hæc nobis sunt ignota, definimus illas per differentiam importantem ne- gationem, vel privationem; ut, dicimus, quod sint substanzæ incorporeæ: vel, secundum quod definit intelligentiam

Auctor

Auctor *De causis* dicens: quod *intelligentia est substantia, quæ non dividitur*. Non ergo sunt nobis notæ propriæ differentiæ substantiarum animalium: sed si notæ nobis essent, sic se haberet ut diximus.

AD SOLVITIONEM ergo quæstionis quæsitæ, patet non esse inconveniens, idem aliter & aliter acceptum se habere ut perfectionem, & ut perfectibile respectu sui-ipsius.

ARGVMENTVM autem in oppositum solutum est per jam dicta.

## DISPVATATIO

### TER T I A.

*De Ente sensibili inanimato.*

## QVÆSTIO I.

### QVODLIBETI XI.

*Vtrum aliquod agens naturale possit destruere aliquam formam absque eo, quod educat aliam?*

Vt plurimum resolvi debet hæc quæstio secundum ea, quæ dicuntur ad quæstionem illam tritam; quomodo se habeant ad se generatio & corruptio? Et an in rerum naturalium interitu fiat resolutio usque ad materiam primam? quam latè tractat Ægid. l. 2. de gen. circa text. 25. Arim. 2. d. 12. q. 2. D. Thom. tract. de formis q. 6. & in 4. d. 11. q. 1. a. 1. q. 3. & 1. p. q. 76. a. 5. Cajet. ad c. 7. l. de gen. eff. q. 17. Scot. in 2. d. 12. cum multis ibi citatis. Capreol. 2. d. 13. quæst. un. a. 3. Gabr. d. 16. quæst. 1. Occam quodl. 2. q. 11. Conimbr. 1. t. de gen. c. 4. q. 18. Mendoza de gen. d. 1. q. 5. cum multis citatis.

Ægidius verò hic adduētā variā divisione formarum in accidentales & substantiales, & illarum in intentionales & reales, pro illarum varietate variè resolvit, quomodo in earum destructione aliquid educatur? Et quomodo generatio unius se habeat ad corruptionem alterius?



ECVND O quærebatur circa omnia agentia naturalia, Vtrum aliquod agens naturale possit destruere aliquam formam absque eo quod educat aliam formam? & videtur quod

sic: quia in alimento, ex quo nutritur homo, quando jam conversum est in substantiam carnis, est delecta propria forma; nec inde est educata alia forma: sed incipit hujusmodi alimentum esse sub anima humana, quæ anima etiam antea existebat, quæm hujusmodi alimento suam formam perderet: est igitur ibi corruptio formæ unius absque educatione alterius.

IN CONTRARIVM EST dictum Philosophi in *De generatione*: ubi vult, quod generatio unius sit corruptio alterius, & è converso.

### RESOLVTIO.

*Forma intentionalis potest destrui per agens naturale absque eo quod hoc inducat aliam, & contraria; cum hæc non habeat contrarium: sicut & realis accidentalis elementibus entibus propria; non tamen ea, quæ elementis & elementatis est communis. Realis verò substantialis aliquando potest, aliquando non.*

**R**ESPONDEO Dicendum, quod hic multipliciter distinguendum sit de formis: quia formarum quædam sunt reales, quædam intentionales. Rursus, formarum realium ponuntur quædam sunt substanciales, quædam variae divisi. accidentales. Formarum & accidentaliū quædam sunt, quæ sunt in elementis, & quædam in elementatis; ut qualitates potentiae activæ & passivæ; ut calidum, frigidum, humidum, & siccum item qualitates materiales; ut rarum, & densum. Quædam autem sunt, quæ sunt in elementatis solùm; ut qualitates secundæ, sicut sunt colores & sapores &c. hujusmodi; loquendo de qualitatibus secundis habentibus esse permanens: nam sonus videtur in quodam motu, & in quâdam successione confistere. Vel si sint aliquæ qualitates secundæ communes elementis & elementatis, nihil ad propositum: sufficit autem ad præsens negotium, quod sint aliquæ qualitates communes elementis & elementatis. Aliquæ verò sunt propriæ in elementatis tantum; colores enim & sapores in puris elementis esse non habent. Sic etiam di-

*Et resolvitur de formis intentionibus.*

stinguendum est de ipsis formis substantialibus : quia quædam sunt educatæ de potentia materiæ secundum essentiam , & dispositionem : quædam vero secundum dispositionem tantum.

CVM ERICO queritur , Vtrum possit naturaliter destrui una forma absque eo quod educatur alia ? vel è converso ? Si loquamur in formis intentionibus , patet , verum esse quod dicitur : nam hujusmodi formæ non habent contrarietatem ad invicem : cum ergo inducit una forma intentionalis , non oportet quod expellatur alia , & cum una tollitur , non oportet quod alia inducatur : ut si in hoc aëre incipiat esse aliquod corpus coloratum , quod prius non erat , faciet suam similitudinem in medio absque eo quod tolleret , per se loquendo , similitudinem aliam ibi inducitam : & si removeretur hujusmodi corpus , tolleretur ejus similitudo à medio absque eo , quod , per se loquendo , induceretur ibi similitudo alia . Nam quod agens naturale inducendo expoliet , & generando corruptat , non est quod intendat corruptire vel expoliare : sed intendat in paucum inducere suam formam : verum quia hoc non potest nisi corruptendo oppositam , idèo generando corruptit , & inducendo destruit . In formis tamen intentionibus , ubi , postquam materia habet similitudinem unius formæ , potest suscipere intentionem oppositæ formæ absque eo quod amittat similitudinem prioris formæ ( quia in eodem punto aëris potest esse intentio albi & nigri ) non oportet hoc contingere .

*Item de accidentialibus , non communibus.*

Si vero queratur de formis realibus accidentalibus , in quibus non communicant elementa cum elementatis , etiam potest contingere , secundum tales formas , quod agens naturale destruat , absque eo quod inducat , & è converso ; nam naturaliter fieri potest quod ex elementis generetur mixtum , & quod mixtum resolvatur in elementata . Si ergo ex elementis generaretur mixtum , fieret coloratum ex non colorato : erit ergo inductio coloris sine destructione coloris : si vero , è converso , mixtum resolyatur in elementum , fieret non coloratum ex colorato : erit itaque coloris destructio absque eo quod sit

coloris generatio.

Sed si loquamur de qualitatibus omnibus communibus , tam elementis , quæm elementatis ; nunquam est destrucción unius sine generatione alterius , vel è converso ; ut , numquam destruetur calidum , nisi generetur frigidum , vel tepidum , nec destruetur rarus , nisi generetur densum . In formis ergo talibus non est generatio sine corruptione , nec è converso . Non tamen oportet quod tot generetur in generato , quot corrumpuntur in corrupto , vel è converso ; corpus enim , quod generatur ex alio , vel ex aliis , potest esse plurium qualitatum , quam sint elementa : & si è converso fieret , esset è converso .

Est ergo ibi generatio cum corruptione , & è converso , ut , generatio mixta est corruptio elementorum : non secundum enim manent elementa in mixto secundum efficiam : sed tantum id , quod sunt , nec omnino tolluntur , quoad quod sunt elementa in mixto : ut nullo modo sint elementa in mixto : sed salvatur vita eorum ; quia qualitates , quas habent elementa in excellēntia , sunt in mixto remissæ . Propter quod qualitates , & virtutes elementorum referuntur in mixto , sicut extrema in medio . Est ergo ibi & generatio & corruptio : sed , quia non oportet quod tot qualitates generentur , quot corrumpuntur ( quia potest esse quod generatum sit plurium vel pauciorum qualitatum , quam corruptum . ) Ideò si specialiter loquamur de hac qualitate , vel de illa ; ut puta de colore , vel de sapore , potest esse generatio absque corruptione , & è converso ; ut , potest generari coloratum ex non colorato , & non sapidum ex sapido , & è converso . Generationes ergo sunt ex contrariis & in contraria ; quia semper genitum habet aliquam contrarietatem ad corruptum : sed non oportet quod habeat contrarietatem in omnibus : nec oportet quod secundum quamlibet qualitatem habeat contrarietatem , vel assimilationem . Potest enim contingere , quod generatum ei , ex quo generatur , secundum aliquam qualitatem habeat contrarietatem , secundum aliquam assimilationem , secundum aliquam nec hoc , nec illud ; ut , si esset mixtum calidum & siccum , & resolveatur ad aliud elementum , quod esset fri-

*Quomodo  
generatio-  
nes sint à  
contrariis  
in contra-  
ria?*

frigidum & ticcum, hujusmodi mixtum corruptum in calore haberet cum eo, in quod resolvitur, contrarietatem, & in siccitate haberet assimilationem. Sed quia posset hujusmodi mixtum esse coloratum & sapidum, in colore & in sapore cum eo, in quod resolvitur, nec haberet contrarietatem, nec assimilationem: quia ex quo resolutum est in elementum, vel in elementa, & elementa nec sunt sapida, nec colorata; quantum ad colore & saporem nec erit ibi assimilatio, nec contrarietas.

Patet ergo quomodo se habeat generatio & corruptio in formis intentionalibus accidentalibus.

Resolvitur  
de substancialibus.

In substancialibus autem formis sic dicemus; quod possit agens naturale formam tollere, absque eo, quod formam educat; nam generatio hominis est naturalis, & non miraculosa: agentia ergo naturalia, cum ex non homine faciunt hominem, tollunt formam rei corruptæ absque eo, quod educant formam rei generatæ: quia forma hominis, secundum essentiam, de potentia materialiæ non educitur: sed educitur secundum dispositionem tantum. Potest tamen naturale agens tollere formam educationem de materia per essentiam, absque eo quod inducat formam educationem de potentia materialiæ per essentiam.

Loquendo ergo de educatione specialiter, potest esse, quod agens naturale tollat, absque eo quod educat. Sed loquendo de hujusmodi educatione generaliter, prout se extendit ad educere formam non solum secundum essentiam, sed secundum dispositionem; sic agens naturale non tollit unam formam substancialiem, nisi educat aliam, vel secundum essentiam, vel secundum dispositionem, nec educit nisi tollat.

AD ARGUMENTVM autem in oppositum Dicendum; quod sicut agens naturale in generatione hominis solum disponit materiam ad susceptionem formæ, sic cum alitur homo per alimentum, non educitur anima rationalis de potentia materialiæ, quæ est sub forma elementi: sed disponitur materia, quæ est sub forma alimenti, ad susceptionem animæ rationalis; expoliatur enim alimentum per agens naturale à substanciali suâ formâ, & dispo-

nitur ad susceptionem alterius substancialis formæ. Tamen quia differt augmentatio, & nutritio à generatione, & corruptione (quia ex illo est propriè generatio, quod fiat inductio formæ secundum se; ex illo autem nutritio est in augmentum, quod accipiat formam non secundum se, sed ut alteri conjunctam.) Ideò alimentum, cum expoliatur à sua substanciali forma, non accipit formam substancialiem secundum se: sed incipit esse sub eadem forma, sub qua est alimentum. Ideò non est inconveniens talem formam, sub qua fit materia alimenti, præexistere in ipso alito ante corruptionem alimenti. Non est ergo ibi simpliciter & absolu- tè generatio & corruptio; sed prout talia sunt, materia alimenti expolia- tur una forma & induitur alia. Propter quod est ibi expoliatio cum inductione, & è converso.

## QVÆSTIO II.

### QVODLIBETI XII.

*Vtrum possit hic inferius esse aliquis effectus naturalis, qui sit casualis non reducitus in motum cœli?*

Hanc difficultatem resolvit Aegidius leviter aliquando in I. de materia cœli. Arg. 2. d. 14. q. 3. a. 2. habet D. Thom. 2. d. 2. q. 2. a. 3. & de pot. Dei q. 5. a. 8. & citatur à Cajet. I. p. q. 15. a. 6. Ferr. cont. gent. c. 86. & 92. Scot. 2. d. 14. q. 3. Ricard. ibid. 3. princ. q. Durand. ibid. d. 15. quest. ult. Alenç. I. p. q. 26. m. 3. a. 2. Occam quodl. I. q. 17. Vide Conimbr. I. 2. de cœlo c. 3. quest. 4. & 5.

*Aegidius vero hic resolvit modo in textu assignato.*



ERTIO quærebatur specialiter de ipso cœlo; Vtrum possit hic inferius esse aliquis effectus naturalis, qui sit casualis non reducitus in motum cœli?

& videtur quod sic: quia, cum cœlum sit agens naturale, est determinatum ad unum: sed multa fiunt hic inferius naturaliter ex concursum diversorum agentium: in talibus ergo poterit esse aliquod casuale non reducendum in motum cœli.

IN CONTRARIVM EST, quia motus cæli, cùm sit motus primus, erit causa omnium aliorum motuum: nullus ergò erit hic motus, & per consequens, nullus effectus naturalis non reductus in motum cæli.

## RESOLV TIO.

*Quamvis nihil sit in mundo casuale respectu Dei: benè tamen dantur aliqua quæ casualiter hic fuit non reducta in motu cæli: cùm possint reduci in dispositionem materiæ, in alia agentia distincta à cælis, & in defectum effectus à causa.*

Quid tradandum.

**R**ESPONDEO Dicendum, quod in hac quæstione sic procedemus: Primo ostenderemus, respectu cuius agentis habeat esse hujusmodi casuale? Secundo declarabimus qualiter talia casualia habeant fieri circa secunda agentia? Tertio assignabimus rationes ad propositum, quibus probetur quod possit esse aliquis effectus hic casualis & naturalis non reductus in motum cæli.

1. Quod respectu Dei nihil sit casuale.

Quia hoc debet esse quid imprævisum

Quale non est corruptio in naturalibus.

2. Qualiter in agentibus 2. possit esse casuale?

PROPTER PRIMVM sciendum quod respectu primæ causæ, vel respectu Dei: nihil sit casuale vel fortuitum. Quia casuale & fortuitum dicit quid imprævisum; non enim corruptio in animalibus est casualis, licet possit esse præter intentionem agentis: & quia à Deo omnia sunt prævisa, nihil est ei fortuitum, nihil casuale. Ideò dicitur in *De bona fortuna*. Quod ubi plurimus intellectus ibi minima fortuna, & ubi plurima fortuna ibi minimus intellectus; quanto enim agens est altioris intellectus, tanto in operationibus suis plura prævidet, & pauciora accidunt ei casualiter: & è converso quanto plura accidunt ei casualia, tanto pauciora prævidet, & tanto minor est intellectus: Deo ergò, qui omnia prævidet, nihil est casuale. Casus ergò & fortuna locum habent circa secunda agentia.

VISO, in quibus agentibus possit esse casus & fortuna secundum prætaxatum ordinem? Restat videre & ostendere; qualiter talia circa secunda agentia esse possint? Dicemus enim,

## QVARTVM.

quod si quodlibet referatur in suam scilicet nō causam simplicem: nihil sit casuale vel respectu sue fortuitum: quia nihil in terra sit sine causa simili: sed causa: vel, nihil est, cuius ortum non diversarum legitima causa præcesserit. Secundum concursum. hunc modum loquitur Philosophus in 2. *Physicorum*; quod licet quodlibet habeat suam causam, multa tamen sint casualia & fortuita: unde & Augustinus 5. *De civit. Dei* cap. 9. ait: *Non enim fieri aliquid potest, quod non aliquid efficiens causa præcesserit.* Sic ergò, referendo quodlibet in suam causam simplicem, quodlibet habet suam causam: & si aliquid dicatur hoc modo fortuitum; non erit, quod non habeat certam & determinatam causam: sed forte credetur esse fortuitum, quia habet causam latenter, secundum quem modum loquitur Augustinus *eod. lib. & cap.* dicens; *iaeò enim eas causas, quæ dicuntur fortuitæ non esse dicimus nullas, sed latentes*

Fortunam ergò & casum non recipiemus in effectibus ex relatione eorum in causas simplices, sed ex concursu causarum; ut dicatur fortuitum, & casuale inopinatus concursus causarum: quod circa Deum veritatem non habet, quia nihil ei ex improviso, nihil ex inopinato potest contingere: in aliis autem causis potest contingere; ut si vadat hic ad forum causa recipiendi argentinum, poterit contingere quod obviet lapidi descendenti, & causaliter frangat sibi caput. quod ergo hic vadat ad forum habet causam per se; scilicet receptionem argenti: & quod lapis descendat habet causam per se; scilicet gravitatem: Sed quod ista duo simul concurrant, & quod tunc lapis descendat, cùm iste vadit ad forum est casuale, & per accidens.

HABITO, in quibus sit casuale & 3. Pro qualiter? Volumus adducere rationes batur, posse ad probandum quod multa possint hic hic esse ali. inferius naturaliter fieri, quæ erunt casuale non casualia reducta in motum cæli: quod reductum in motum tripliciter declaratur. Prima via sumitur ex dispositione materiæ; Secunda ex aliis agentibus, quæ comparantur motui cæli: Tertia ex defectu, sive ex deficientia effectus ad causam.

PRIMA sic patet: nam agens, quod præsupponit materiam, requirit dispositionem materiæ; ut secundum quod 1. Ex dispositione causarum. est

**est** materia aliter & aliter disposita , ali-  
ter & aliter inducatur ibi forma: ex con-  
cursu ergo dispositionis materiæ ad  
agens possunt hic inferius multa casua-  
liter contingere ; ut videmus in anima-  
libus , quæ generantur ex putrefactio-  
ne : nam non semper ex eadem mate-  
ria putrefacta generantur eadem ani-  
malia secundum putrefactionem ; quia  
**Secundum** potest esse , quod in eadem materia ge-  
cujus diver-  
sitas  
fiant à caelo  
diversi effe-  
ctus.  
Secundum  
dum quod habet alium & alium aspe-  
ctum ad cælum; ut ex carnibus ejusdem  
animalis poterunt generari alii & alii  
vermes , secundum quod illud idem  
animal moritur sole existente sub alio  
& alio signo.

Quod ergo in hac carne mortuâ sole  
existente sub tali signo fiat talis putre-  
factio habet causam per se : & quod ex  
tali putrefactione generetur tale animal  
habet causam per se. Et hoc est quod  
Commentator ait in 12. *Metaph.* *Sicut*  
*je* *habet putrefactio in animalibus que gene-*  
*rantur ex putrefactione* , sic se habet se-  
men in animalibus , quæ generantur  
per propagationem. Sicut ergo est per  
se quod ex tali semine generetur tale  
animal ; ita quod ex tali putrefactione  
tale animal generetur. Quod ergo sic  
materia putrefiat sole existente sub tali  
signo , per se erit : & quod sol sic putre-  
faciat habens talē aspectum per se erit:  
sed quod ista duo concurrant ; scilicet  
quod materia hæc tunc putrefiat , quan-  
do sol habet talem aspectum , vel est sub ta-  
li signo poterit esse casuale & per acci-  
dens. Vnde & Ptolomeus in *centiloqui*  
*suo* , ubi agit de astronomorum judicio ,  
dicit. *Expectandum esse judicium ex secundis*  
*stellæ se-*  
*cundæ quid stellæ*. Possunt autem appellari secundæ  
stellæ hæc inferiora , ex quorum dispo-  
sitione est expectandum judicium.

Ex alia & alia dispositione materiæ  
multa possunt contingere hic casualia  
non reducta in motum cæli; ut patet ex  
animalibus generatis ex putrefactione.  
Vnde & 12. *Metaphysica* , scribit , quod  
*sunt forte per se & à casu animalia gene-*  
*rata ex putrefactione* , quod autem in ta-  
libus reperiatur per se , & casuale est  
per habita manifestum.

**SECVNDO** hoc idempatere potest  
ex particularibus agentibus , quæ com-  
parantur ad motum cæli: nam sicut sol

& homo generant hominē; sic sol & bos  
generat bovem : potest autem contin-  
gere quod in generatione bovis fiat ali-  
quod monstrum ex aliqua dispositio-  
ne cæli; ut , si non sit bonus aspectus  
cæli cum generatur bos , poterit in  
menstruo , quod est materia generatio-  
nis bovis , fieri aliqua corruptio , unde  
contingat generari aliquod monstrum:  
quod ergo fiat tale monstrum ; ut puta  
quod generetur bos sine cornibus , sic  
existente aspectu cæli , & sic se habente  
menstruo , unde fit generatio , est per  
se: sed quod ista concurrant , poterit esse  
casuale , & per accidens ; ut , quod tune  
bos det operam generationi in eo tem-  
pore , & in eo loco , ubi cælum non ha-  
bet bonum aspectum ad tales effe-  
ctum , poterit esse casuale ; & per acci-  
dens.

**TERTIA VIA** ad hoc idem sumi-  
tur ex deficientia effectus ad causam: &  
via hæc tertia cum primis duabus viis  
concludit intentum : nam non oportet  
tantam uniformitatem dare in effecti-  
bus , quantam damus in causa ; quia  
naturale est , quod effectus deficiat à sua  
causa : licet ergo dispositio materiæ sit  
a cælo , quia nihil agitur naturaliter hic  
inferius , nisi virtute cæli; redeunte ta-  
men cælo ad eundem situm , non opor-  
tet quod redeat eadem dispositio pun-  
ctualiter , sicut redit stella ad eundem  
punctum; est quidem aliqua circulatio in  
istis inferioribus , propter quod dicen-  
dum est , quod *omnia mensurantur sua*  
*periodo* : hujusmodi tamen circulatio hic  
inferius reperta non est tantæ unifor-  
mitatis , sicut est circulatio cælestis mo-  
tus.

Vnde dicimus falsam esse opinionem Vnde cir-  
illam , quæ attribuitur Platoni ; quod in cum infi-  
finae magni anni omnia redibunt ad eun-  
riorum , que  
dem punctum. Appellatur autem ibi sua periodo  
magnus annus tempus quo completur , non est  
cursum suum octava sphaera ( secun-  
tam unifor-  
mum quod videtur sensisse Ptolomeus) mis quam  
36. millium annorum. Posuit enim  
Iphilosophus quod octava sphaera in Platonis  
centum annis moveretur uno gradu: & fent. de  
quia habet trecentos sexaginta gradus , termina-  
tione ma-  
scut cæteri circuli cælestes , dividuntur , gni anni  
in prætaxato tempore , Secundum hunc 36000. an-  
modum , compleat illa sphaera cursum  
suum. Ieber tamen in suo tractatu de  
accessu

2. Ex diver-  
so concursu  
agentis  
particularis  
cum cælo  
aliter &  
aliter dis-  
posito.

accessa & recessu octava sphaera aliter inventit hujusmodi motum.

Sed quicquid sit, & in quacumque tempore sphaera illa suum cursum compleat; falsum est tamen, quod redeunte octava sphaera ad suum punctum, sicut & cæteris cælestibus spheras, redeant omnino eadem hic inferius non solum eadem numero, sed etiam eadem specie: quia non est tanta regularitas hic inferius, quanta superius.

Vnde contingat ista irregularitas motus inferiorum?

Contingit autem hujusmodi irregularitas hic inferius, solum ex parte particularium agentium cooperantium ipsi cælo; quæ particularia agentia cum sint varia & diversa, nec sint omnino regularia in agendo, magnam diversitatem faciunt hic inferius; adeò quod redeuntibus sideribus ad eundem situm non redeant hic omnino iidem effectus.

Non solum autem ex parte talium agentium contingit hæc dissonantia, sed etiam ex parte deficientiae effectus ad causam: nam quia deficit effectus à sua causa, & non oportet (ut dicebamus) dare tantam uniformitatem in effectibus, quantam in causis, si nihil aliud esset nisi hujusmodi deficientia, redeuntibus sideribus ad eundem punctum, non omnino & punctualiter rediret hic inferius eadē dispositio materiae, & idem effectus. Et quia non est omnino regularis redditio hic inferius, oportet quod ex alio & alio concursu multa casualia contingant; non semper enim erit regulare, quod talis dispositio materiae concurrat cum tali aspectu cæli: hinc poterit hoc esse casuale, & propter hoc etiam effectus, si contingat, casualis erit. Multa ergo sunt hic inferius casualia non reducta in motum cæli: quia non punctualiter possumus judicare omnia ex motu cæli: & redeunte eodem aspectu cæli, non oportet quod redeat idem effectus.

AD ARGUMENTVM autem in contrarium Dicendum, quod, licet omnia naturalia hic inferius causentur ex motu cæli, multa tamen sunt hic casualia: quod contingit ex deficientia effectus ad causam. Irregularitas ergo hic inferius non est ex irregularitate causæ: ideò non propriè dictum est, quod irregularitas hic reducatur in irregularitatē

## QVARTVM

cæli: sed magis reducitur in causam materialem, vel in causam per accidens, vel in necessitatē vel in materię insufficiētiā; ut quia accidit istis inferioribus propter insufficientiā materię, quod non omnino consequuntur regularitatem suæ causæ, & quia ex irregularitate, quam habent, contingit hujusmodi casualitas; etiam bene dictum est, quod multa sunt hic casualia non reducta in motum cæli.

## DISTRIBVTIO

## QVÆSTIONVM.



EINDE quærebatur circa res animatas: circa quod quærebatur tripliciter. Primo circa omne animatum; & erat quæstio de augmento, quod competit omni animato; Vtrum in re augmentata sit signare id, per quod fit augmentum, & partem augmentatam? Secundo quærebatur specialiter de homine. Tertio circa animam hominis. Quærebantur autem circa hominem duæ quæstiones, quæ possunt quæri circa omnem rationabilem, vel intelligibilem creaturam: unà quæstio erat de hominis dilectione, Vtrum homo debeat magis diligere Deum, quam seipsum? alia erit de hominis fruitione; Vtrum delectatio, quam habebimus in patria in fruitione & visione Dei, sit sicut in subiecto in intellectu, an in appetitu?

## DISPVATATIO

## QVARTA.

*De rebus animatis generaliter, quoad augmentum, quod eis competit.*

## QVÆSTVNICA

## QVODLIBETI XIII.

*Vtrum in re augmentata sit signare id, per quod fit aug-*

*fit augmentum, & partem augmentatam?*

Hanc questionem tractat Egidius lib. 4. de gen. & corrupt. item, causâ augmenti charitatis. i. sent. d. 17. variis locis. Greg. Arim. ibid. qq. var. Alph. Tol. q. 3. a. 2. Arg. q. 2. a. 2. Marfil. q. 14. D. Tho. i. d. 87. q. 2. & 2.2. q. 24. & ibid. Thomist. Scot. d. cit. q. 3. Herv. q. 5. Autol. a. 2. Occam q. 6. Capreol. q. 2. & exp̄sē trāctant Philos. l. i. de gen. & corr. videantur Conimb. q. 15. & 16. item Mendoza d. 3.



D PRIMVM sic proceditur. Arguebatur autem quod in re augmentata non esset signare partem auctam, vel saltem non esset ibi signare id, per quod factum est augmentum; si quælibet pars aucta est aucta, etiam quantumcumque minima, pars aucta vel augetur per majus, vel per æquale, vel per minus: si per majus ergo in omni augmentatione res augmentata crescat plus quam per duplum: si per æquale, tunc crescat per duplum. quæ omnia sunt inconvenientia, & contraria iis, quæ videmus ad sensum; non enim semper cum res augmentatur, augmentatur per duplum, vel per plus quam duplum: imò nunquam in una & eadem augmentatione fit tantum augmentum: augmentabitur ergo per minus, quam sit pars aucta: sed pars aucta est minima; fiet ergo augmentum per minus minimo: sed tale quid non est signare; ergo &c.

In contrarium est, ut dicebatur, Commentator, qui vult talia esse signabilia.

### R E S O L V T I O.

Cum alia sit pars secundum materiam, alia secundum formam in omnibus materialibus tam in animatis, quam non animatis; Dicendū est, quod quælibet pars aucti secundum formam, non autem secundum materiam sit aucta: insuper sit dare partem minorem secundum materiam aliā minimā secundum formam Contrà tamen, secundum materiam & quantitatem designari potest, non secundum formam, pars augens diversa à parte aucta.

**R** ESPONDEO Dicendum, quod in hâc quæstione sic procede-  
demus: Primo enim declarabi-  
mus, quomodo fiat augmentum? Secun-  
dò ostendemus, quomodo sit ibi dare  
minus minimo? &, quomodo non? quia  
hoc videbatur quæstio quærere; licet  
aliud prōponeret. Tertiò descendemus  
ad propositum, quomodo sint talia sig-  
nabilia? &, quomodo non?

Que tra-  
stanta?

1. Quomo-  
do fiat au-  
gmen-  
tum?

PROPTER PRIMVM sciendum, quod in quâlibet re animatâ sint pori in potentia: ita quod fiat transmissio alimenti per hujusmodi poros ad quamlibet partem rei animatæ, non ad quamlibet partem secundum materiam, sed ad quamlibet partem secundum formam. Distinguemus enim in re animatâ, ut docet nos distinguere Philosophus in *i. de generatione, in cap. de augmento*: Sicut distinguimus in omnibus habentibus speciem in materiâ; quod aliquid sit hoc secundum materiam, aliud autem secundum formam in omnibus enim habentibus formam in materiâ est dare partes secundum formam, & partes secundum materiam. Partes secundum formam dicuntur illæ, quæ secundum se consideratæ ha-  
bet actionem talis; ut, dicitur caro secundum formam, quando est tantum de carne, ut secundum se accepta ha-  
beat actionem carnis. Pars autem secundum materiam est, quæ solùm ut alteri est conjuncta habet actionem ta-  
lem. Non ergo quantumcumque mini-  
ma caro erit hoc secundum formam:  
sed poterit esse hoc secundum mate-  
riam; non enim quantumcumque mi-  
nimū secundum se consideratum ha-  
bet actionem tales: sed quantumque  
minimum alteri conjunctum habere  
poterit hujusmodi actionem. Cum ergo dicitur, quod quælibet pars aucti sit  
aucta, Intelligendum est de quâlibet  
parte secundum formam; non autem secundum materiam: Per poros autem missione  
illos in materiâ fit transmissio ad quamlibet partem, non ad quamlibet partem  
quantumcumque minimam: sed ad quamlibet partem, quæ possit conver-  
tere alimentum: hujusmodi autem pars  
dicitur esse quid tale secundum for-  
mam.

Imaginabimur ergo, quod, si in cerâ  
C g impri-

Per trans-  
missionem  
alimenti  
Per poros  
ad partes  
augmentati.

Quacum  
aliz secun-  
dum for-  
mam, aliz  
secundum  
mat &  
quenam  
illarum  
augmen-  
tentur?

Et quoma-  
do?

2. Quomo-  
do sit dare  
minus mi-  
nimo.

Quia scili-  
cer pars  
alimenti  
est minor  
minima  
parte car-  
nis, ad  
quam aug-  
mentan-  
dam trans-  
mittitur.

Secundum  
formam.

imprimeretur aliquid, fieret inflatio ceræ; sed non propter hoc esset cera augmentata: sed si cera esset illius potentiae, quod posset in se convertere, quod esset sibi impressum, hoc modo esset augmentatio ceræ: sic & in proposito, ad quamlibet partem rei animatae fit transmissio alimenti quo facto inflatur membrum: sed nondum est augmentatum. Sed quia partes rei animatae, ad quas fit transmissio alimenti, sunt illius potentiae, quod convertant ad se alimentum transmissum, quo facto augmentatum est membrum; quamlibet pars aucti est aucta; non quamlibet quocumque modo: sed quamlibet, quæ est tantæ quantitatis, & tahtæ virtutis, quod possit ad se convertere alimentum, & quia talis pars dicitur esse secundum formam; ideo communiter ponitur quod quamlibet pars aucti sit aucta, non quamlibet secundum materiam sed secundum formam.

Visò, quomodo fiat augmentum? volumus declarare, quomodo sit dare minus minimo secundum formam: sed non sit dare minus minimo secundum materiam? Alimentum ergo quod minutatim transit ad partes membra, sic se habet, ut quamlibet pars alimenti transmissa sit multò minor, quam pars carnis, ad quam transmittitur; nam hujusmodi pars carnis, ad quam fit transmissio alimenti, debethabere actionem carnis, & est caro secundum formam: sed pars alimenti transmissi non est caro secundum formam, nec suscipit formam carnis secundum se: sed suscipit hujusmodi formam ut alteri conjunctæ: & quia hæc solùm est caro secundum materiam, cùm non sit contra rationem carnis secundum materiam, quod sit quid quantumcumque minimū; non est contra rationem alimenti, quod dividatur in partes quantumcumque modicas.

Imaginabimur enim, quod in hoc differat generatio ab augmentatione, quod illud, quod generatur accipiat formam secundum se: sed in nutritione & augmentatione illud, per quod sit nutrimentum & augmentum, accipiat formam ut alteri conjunctum: ideo sufficit quod sit tale secundum materiam: quia, ut diximus, hoc est tale secundum formam, quod secundum se con-

sideratum habet formam talem; hoc autem tale secundum materiam, quod alteri conjunctum habet formam talem, vel actionem talem. Quia igitur, ut dictum est, non est contra rationem alimenti, quod dividatur in partes quantumcumque minimas, quia in hujusmodi partibus non inducitur forma carnis secundum se, sed ut sunt alteri conjunctæ; est autem contra rationem membri quod dividatur in partes quantumcumque minimas: quamvis dividatur in partes tantæ quantitatis, ut habeant actionem carnis, & ut possint ad se convertere alimentum; multò minores sunt partes alimenti transmissi, quam partes carnis augmentatae: & quia hujusmodi partes carnis possunt dici minimæ secundum formam; partes alimenti transmissi sunt minus minimo secundum formam, non autem secundum materiam. Nam non solùm non reperitur minus minimo secundum materiam: sed etiam non reperitur tale minimum: nam quantum Non secun-  
ad partes secundum materiam vadit dūm mate-  
divisio in infinitum, sicut secundum riām.  
partes quantitativas: sicut ergo nulla pars est continua, quantumcumque modica, quæ non dividatur in partes continuas, sic nulla est pars secundum materiam quantumcumque modica, quæ non semper dividatur in partes secundum materiam.

OSTENSO, quomodo fiat augmentum? & quomodo sit dare minus <sup>3. Quomo-</sup>  
<sub>do fit sig-</sub> minimo, volumus descendere ad quæ-  
stionem quæsitam; Quomodo sit signare partes augmentatas, per quas fit augmentum?

DICEMVS ERGO, quod aliquid Duplicitet. sit signabile respectu alterius dupli- aliquid est  
ter; vel secundum formam, ut, quia signabile, secundum formam diversam ab ipso: vel secundum quantitatem & ma- & secun-  
teriam. dūm quantitatem, vel materiam.

Primo modo non oportet esse signabiles partes carnis augmentatas, & partes alimenti per quas fit augmentum. Imaginabimur equidem quod partes augmentatae agant in alimentum, & partes alimenti resistant hujusmodi actioni, & fiat ex eis unum conversione completâ; ut non oporteat quod alia sit forma carnis in parte aug-

augmentata, & in parte per quam est factum augmentum.

SED secundum quantitatem & materiam sunt signabiles haec ab illis.

*Et secundum quid hic sunt partes signabiles?*

Imaginatur autem quidam fantastice, quod partes alimenti sic se immiscerent partibus carnis, ut non sit signare esse aliam quantitatem materiae hanc ab illa. Sed contra est quia si hoc cotingeret, dimensiones penetrarent dimensiones, & nullum fieret augmentum; ideo enim quantitas quantitatem auget, quia una quantitas non illabitur alteri: sed est signare unam quantitatem, distinctam ab aliis. Igitur secundum quantitatem & materiam, si quis rerum naturam cognosceret, signare posset diversam esse quantitatem, in qua fuit forma alimenti, à quantitate, in qua prius erat forma carnis.

AD ARGUMENTVM autem in oppositum patet solutio per jam dictam. Quia est ibi dare minus minimo, non minimo secundum materiam, quia tale minimum non est, sed per formam.

## DISPVTATIO

Q V I N T A.

*Dc Spectantibus ad hominis actiones.*

## QVÆSTIO I.

QVODLIBETI XIV.

*Vtrum homo magis debeat diligere Deum, quam seipsum?*

Ad hanc quest. examinanda sunt, quae habet Aegid. de ratione vestigij i. 1. d. 3. q. 2. princip. item videndum 3. p. d. 29. 1. & 2. part. princ. que sunt extracta ex l. de laud. divinae sap. c. 14. de charitate vero tractat in l. d. 17. habet Argent. 3. d. 27. q. 1. a. 1. D. Th. 2. 2. q. 26. 2. 3. cum Caeteri bañez & alijs Thomistis. Scorus in 3. d. 27. cum Scotistis. Durand. d. 29. Gabr. ibid. q. u. n. a. 1. Altisiod. l. 3. tr. 5. c. 3. q. 1. Turrian. Malderus, Lorca. ex D. Th. citato.

*Aegidius vero hic quae, & qualiter tractatus sit partitus in textu.*



ECVENDO quærebatur de dilectione hominis, Vtrum homo magis debeat diligere Deum, quam seipsum? & videtur quod non, quia nos diligimus

Deum propter bonum nostrum, quod habemus à Deo: sed propter unumquodque tale & illud magis: bonum ergo nostrum & nos ipsos plus diligimus & plus debemus diligere, quam ipsum Deum.

Præterea, si aliqua causa sit propter quam debemus diligere Deum plus quam nos ipsos, est quod in Deo plus est de bonitate quam in nobis: Secundum hunc ergo modum quilibet plus deberet diligere proximum meliorem se, quam seipsum: sed hoc est falsum, ergo & primum.

IN CONTRARIUM est, quod ordinata charitas plus & magis est ad Deum, quam ad creaturam: sed debemus habere ordinatam charitatem, ergo &c.

## R E S O L V T I O.

*Quia Deus est bonum per essentiam, à quo in creari & conservari dependet omne aliud bonum, & cuius participatione est bonum; hinc plus quam bonum nostrum, amandus est.*

**R**ESPONDENDVM, quod tri- Offenditur pli via venari possimus quod 3. viā homo debeat plus diligere Deum, 1. quia Deus quam seipsum. Prima via sumitur ex eo quod Deus sit <sup>vix & con-</sup> creativus & conserva- servativus omnis boni. Secunda vero ex eo omnibus boni quod sit bonum totale continens in se quodcumque bonum. Tertia quidem ex eo quod ipse sit bonum per essentiam, cuius participatione est bonum omne aliud bonum.

PRIMA VIA sic patet, dicimus <sup>ac prope-</sup> nim quod Deus sit magis intimus cuius rea intime- bet rei, quam res ipsa sibi: Hoc enim ei present. modo dicitur Deus esse per essentiam in qualibet re, & esse intimus cuilibet rei; quia qualibet res praeservat in esse. Est enim Debemus enim imaginari quod quilibet vestigium effectus Dei sit quoddam vestigium creatoris. Hujusmodi autem vestigium, in aqua ref. vel similitudo non est sicut similitudo sigilli reperta in cera, quia absente sigillo remanet ejusmodi similitudo in cera; sed magis est sicut similitudo sigilli in aqua; est enim tantæ fluxibilitatis, quod ad momentū non retinere formam sigilli, nisi semper adesset sigillum.

præservans hujusmodi formam. Sie creatura, secundum SS. scientiam, ad momentum nō staret nisi in eo haberet principaliter creatorem ipsam præservantem in esse. Principaliter est ergo Deus in qualibet creatura ipsam in esse præservas: & tanto est intimior cui liber creaturæ quam creatura sibi, quanto magis facit ad conservationem essentiae creaturæ, quam faciat essentia creaturæ ad præservationem sui-ipsius.

Naturale est ergo, quod creatura magis diligit Deum, quam seipsum, quia bonū creaturæ magis reservatur in Deo, quam in seipso: nam, ut dictum est, Deus facit magis ad conservationem creaturæ, quam ipsa creatura; sine Deo enim etiam ad momentum non posset existere creatura: & si annihilata esset creatura, Deus, quando vellet, ipsam reficeret. Si ergo creatura adverteret, quantum bonum esset bonum divinum, & quod si annihilata esset per illud bonum refici posset, & quod sine illo bono esse non posset, videret, bonum suum magis esse in illo bono divino, quam in se ipsa. Creatura igitur hoc cognoscens magis diligeret Deum, quam seipsum. Igitur si consideremus quod Deus sit omnis boni causativus & conservativus, pessimè agemus si non magis diligamus Deum, quam nos ipsos, cognoscentes, quod bonum nostrum magis reservetur in Deo, quam in seipso, cum non posset esse sine Deo, & etiam annihilatum posset refici per ipsum Deum.

<sup>2.</sup> Quia Deus est bonum continens omne bonum partiale.

SECVNDA VIA ad idem sumitur ex eo quod Deus sit bonum totale habens in se quocumque bonum. Est enim naturale quod pars magis diligit totum, quam se ipsam; naturale est enim quod brachium se exponat protectione totius, & conservatione capitis: in ipsis autem membris nostris hanc legem esse impressam ex instinctu naturæ percipimus, quod partes se exponant periculo & morti pro defensione totius; quod non esset, nisi naturaliter esset inditum partibus quod plus diligerent totum quam seipso. Et quia bonum divinum est bonum totale, quælibet autem creatura est quædam particularis expressio illius totalis boni, naturale est quod creatura plus debeat diligere

<sup>2.</sup> Quia Deus est bonum contingens omne bonum partiale, pars autem est ad defensionem instinctu na-

Deum ipsum quam seipsum.

Illa igitur verba Phil. in Ethicis, est ad definitionem totius ex instinctu naturæ. Pars autem amicabilia, que sunt ad alterum, venerunt ex amicabilibus, que sunt ad nos ipsos: Intelligenda sunt de amore partis ad partem, nam amicabilia unius partis ad aliam surrexerunt ex amicabilibus, que sunt ad seipsum. Non autem intelligenda sunt eis de amore partis ad totum: quasi pars magis debeat diligere totum, quam seipsum.

TERTIA VIA ad hoc idem sumitur ex eo, quod Deus sit bonus per essentiam, cujus participatione est bonum est participatio omne aliud bonum: Et quia quicquid est bonum, est bonum participatione ejus, illius boni, quodlibet aliud bonum non per essentiam est amandum, nisi per relationem ad illud bonum.

Si ergo bonum nostrum non est bonum, nisi in quantum participat divinum bonum, consequens est, quod non sit diligendum, nisi propter illud divinum bonum, cujus participatione habet quod sit bonum: quodlibet ergo debet diligere se ipsum sive suum bonum, propter divinum bonum. Sed ipsum divinum bonum debet diligere non propter aliud bonum, cum non sit alio bono bonum: sed sit essentialiter bonum, & per se ipsum. Proximum autem debent diligere propter societatem, quam habet cum ipso in illo summo bono: Et quia propter quod unumquodque tale & illud magis; Cum bonum nostrum sit diligendum propter divinum bonum; consequens est quod magis debeamus diligere Deum, quam nos ipsos, & divinum bonum magis, quam nostrum bonum. Sed proximum nostrum debemus diligere sicut nos ipsos, id est, ad bonum ad quod nos ipsos: quia ad illud bonum debemus diligere proximum, ad quod diligimus nos ipsos; debemus enim diligere proximum propter divinum bonum & ad divinum bonum, quia habemus societatem cum ipso in illo bono.

Quantumcūq; ergo proximus noster sit melior nobis, non propter hoc sumus boni participatione illius boni: & ideo nostrum bonum non est diligendum propter bonum illud; sumus enim boni non participatione proximi, sed participatione Dei: nec est bonum nostrum diligendum

Pars autem  
amicabilia, que sunt ad alterum, vene-  
runt ex amicabilibus, que sunt ad nos ipsos:  
Intelligenda sunt de amore partis ad  
partem, nam amicabilia unius partis ad  
aliam surrexerunt ex amicabilibus, que  
sunt ad seipsum. Non autem intelligen-  
da sunt eis de amore partis ad totum: quasi  
pars magis debeat diligere totum, quam  
seipsum.

<sup>3.</sup> Quia or-  
ne bonum  
est partic-  
patione  
ejus, &  
ipse vero  
illius boni,  
quodlibet aliud bonum non per  
essentiam  
est amandum,  
nisi per relationem ad  
illud bonum.

## QVÆSTIO

figendum finaliter propter proximum, sed propter Deum & proprie divinum bonum. Si igitur advertimus, quod bonum nostrum non sit bonum, nisi participatione divini boni; patet, quod magis debeamus diligere Deum & divinum bonum quam nos ipsos, & quam nostrum bonum.

AD PRIMVM autem illi contrarium dicendum quod bonum nostrum possit appellari ipse Deus: Nam ipse Deus est hæreditas nostra & merces nostra, erimus enim hæredes Dei, cohæredes autem Christi, ut Apost. ad Rom. 8. hæreditas autem est propter sufficientiam, & propter satietatem, & dimittit hæredibus ad tollendam omnem indigentiam & dandam satietatem, & quod illo eodem bono divino, quo fruitur Deus, fruamur & nos: & quod satietatem habebimus per illud divinum bonum, dicimur hæredes Dei, & ipse Deus dicitur hæreditas nostra; Sic enim dicit Deus Abrabæ Gen. 15. *Ego protector tuus & merces tua magna nimis*. Ipse ergo Deus est hæreditas nostra, & merces nostra, & bonum nostrum.

Cum ergo dicitur, quod nos non diligamus Deum nisi propter bonum nostrum; si sit sensus quod nos non diligamus Deum nisi propter Deum, id est propter seipsum, qui est bonum; quod bonum habemus ab ipso Deo, quia ipse se ipsum nobis liberaliter communicat: sic argumentum non ad est ad propositum: quia ex hoc non habemus quod nos debeamus diligere Deum propter nos ipsos: sed quod debeamus diligere Deum propter Deum. Sed, si per bonum nostrum intelligamus aliquod bonum creatum communicatum nobis à Deo, argumentum peccat in materia: Recipit enim falsa; falsum est enim, quod Deum debeamus diligere propter aliquod bonum creatum communicatum nobis à Deo. Immò quodcumq; bonum hujusmodi creatum nobis communicatum debemus diligere propter Deum. Et per consequens magis diligere debeamus divinum bonum, quam nos ipsos, & quodcumque creatum bonum.

AD SECUNDVM dicendum, quod patet solutio per jam dicta: Nam eti proximus habeat maius bonum, non tam est sic maius bonum, quod nos si-

## VNDECIMA.

237

mus boni participatione illius boni, & quod nos debeamus diligere nos finaliter propter hujusmodi bonum: & quia hoc habet divinum bonum; ideo non sequitur, quod si magis debeamus diligere Deum, quam nos ipsos, quod magis debeamus diligere meliorem proximum, quam nos ipsos.

## QVÆSTIO II.

### QVODLIBETI XV.

*Vtrum illa delectatio, quam habebimus in patria de visione & fruitione Dei sit in intellectu? an in voluntate?*

De delectatione, & quomo lo distinguatur à fruitione & usu: Longè la è que disputat Aegidius in primum, d. 1. cum Gregorio, Gerard Senens Alphonse Tol. D. Thom. Durand. ibidem. De delectatione vero & tristitia &c generali er. D. Thom. 1. 2. q. 31. & deinceps usque 39. & late citatis infinitis antiquis & modernis Salas 1. 2. 11. q. d. 3 f. 4.

*Aegidius vero expedit questionem positam juxta partitiones, quas habet in textu.*



ERTIO quarebatur de hominis visione, vel fruitione. Vtrum delectatio, quæ erit de illa visione, & fruitione Dei, quam habemus in patria sit in intellectu, sicut in subjecto, vel in appetitu? Et argueretur, quod in appetitu: quia cuius est desiderare, ejus, ut dicebatur, est delectari: sed desiderare est ipsius appetitus; ergo & delectari.

IN CONTRARIUM EST, quia nos delectamur semper diversos sensus. Sed omnes illæ variæ delectationes non possent esse in uno & eodem appetitu: Erunt ergo in ipsis sensibus: sed sicut se habet sensus ad appetitum sensitivum, sive se habet intellectus ad appetitum intellectivum: Si ergo delectationes sint ex objecto sensibili, erunt in sensu delectationes. sumptæ ex objecto intelligibili erunt in intellectu.

Gg 3

RESO.

## RESOLV TIO.

*Quia aliud est dolor animæ in carne & aliud ex carne, & hic formaliter est in voluntate; sic delectatio de visione &c. est in voluntate tamquam in subiecto.*

Quid trā-  
gandum?

**R**ESPONDEO dicendum quod in questione procedemus: primò incipiems à rebus sensibilibus, eò quod nostra cognitio incipiat à sensu, Incipiems enim a dolore, ut est passio sensibilis, ubi esse habeat, an in sensu? an in appetitu? & ex hoc investigabimus de delectationibus tam sensibilibus quam intelligibilibus? ubi esse habeant, an in appetitu? an in potentia cognitiva?

PROPTER primum sciendum, quod circa dolorem, ubi habeat esse tanquam in subiecto? magni sibi contradictant. Nam in quibusdam prioribus scriptis voluerunt aliqui dolores sicut in subiecto esse in sensu, & specialiter in sensu tactus. In posterioribus autem suis scriptis afferunt, omnem dolorem tanquam in subiecto esse in appetitu. Nos autem magis approbamus primam sententiam, eò quia magis concordet cum verbis *Augustini 13. de Civit. Dei c. 15.* ibi enim distinguit duos dolores, sive duo genera dolorum, Vnum in carne, alium ex carne. Vnde ait, *dolores porrò, qui dicuntur carnis animæ, sunt in carne, & ex carne.* Hæc autem duo genera dolorum sic se habent, quod dolor animæ in carne, sicut in subiecto, sit in sensu: dolor animæ ex carne, sicut in subiecto, sit in appetitu.

Imaginabimur enim, quod dolor animæ in carne non sit nisi læsio carnis; iste tamen dolor non est affectio carnis tantum, quia nisi esset in carne anima, quæ læsionem sentiret non ibi esset dolor. Hujusmodi ergo dolor qui dicitur in carne, incipit à læsione carnis: Sed terminatur in perceptione læsionis, ita quod hoc sit dolor in carne, quod est perceptio læsionis carnis. Et quia ipsa perceptio, sicut in subiecto, est in sensu, idè hujusmodi dolor tanquam in subiecto est in sensu. Nihil est ergo aliud animam dolere in carne,

quod in  
sensu,

quam ipsam percipere læsionem carnis, ut si ignis applicetur manui, lædit carnem, & percipere vel sentire læsionem illam est dolere.

Dolor ergo hujusmodi materialitet est in carne, formaliter in sensu. Vel dolor hujusmodi potest dupliciter diffiniri materialiter & formaliter. Materialiter quidem est aliud talis dolor, quā læsio carnis. Formaliter vero hujusmodi dolor est perceptio læsionis. Et quia læsio carnis est in carne: perceptio autem læsionis est in sensu, idè dicebamus quod materialiter dolor sic acceptus sit in carne. *Augustinus tamen in libro praesignato dolor in eodem capitulo diffiniens dolorem carnis, vel dolorem animæ in carne, ait, quod alius materialiter dolor carnis tantummodo offendit.* In quo appareat quod hujusmodi dolorem diffiniat materialiter, nam dolor sic sumptus materialiter est læsio vel offendit carnis: sed formaliter est perceptio læsionis: sic ergo dicendum est secundum August. de dolore in carne.

QVID autem sit dolor ex carne *idem Aug. eodem lib. & cap. manifestat, cum ait, quod dolor animæ ex carne sit quedam eius animæ diffusio.* Sic ergo imaginabimur; quod sit passio in carne, & ab illa passione dissentiamus habendo duplēcē displicantiam passionis: Erunt ergo ibi duo motus: Vnus qui incipit à læsione, sive à divisione continui, & terminatur ad perceptionem læsionis: Alius, qui incipit à perceptione læsionis, & terminatur ad dissensionem, & ad displicantiam passionis. Primus dicitur dolor animæ in carne, Secundus ex carne. Primus quia terminatur ad perceptionem læsionis (cum perceptio, ut dicebamus, sit in sensu) erit sicut in subiecto in sensu: Secundus autem, qui terminatur ad displicantiam rationis (cum dispicentia sit ut in subiecto in appetitu) erit in appetitu.

*August. eodem lib. & cap. Dolorem in carne dicit nihil aliud esse quam passionem carnis. Vnde ait, quod animus plerumque turbatur, & caro dolet, & veterascit, & moritur.* Et quidquid aliud patitur ipsam passionem carnis dolorem appellat, sed hoc non potest esse formaliter; Nam & lapides patiuntur, & teruntur, non tamen dolent: quia passionem illam non sentiunt. Dolor ergo in carne

in carne non est formaliter ipsa passio, vel læsio: sed est perceptio passionis, vel læsionis. Dolor autem ex carne non est formaliter ipsa perceptio: sed est displicentia perceptionis. Hoc autem hic est læsio dicitur dolor ex carne, quando ex carnis, ille ipsa carne habet esse aliquid, quod displicet nobis: & quia displicentia, de quam sub qua loquimur, presupponit cognitionem, dolor ex carne cognitionis est si percepitur, cut dolor in carne, qui præcedit dolorem ex displicentia, est in rem ex passione sive ex læsione. voluntate.

Ista autem tria se habent per hunc ordinem, læsio, læsionis perceptio, per-  
constituit dolorem ex cepti displicentia, vel dissensio: Duo autem carnis.

istorum faciunt dolorem incarne. & duo ex carne. Primū equidem cum medio, ut læsio & perceptio læsionis, faciunt dolorem in carne; Aliter tamen & aliter: Quia læsio, ut dicebatur, se habet ad hujusmodi dolorē in carne materialiter; & perceptio formaliter. Medium autem cum tertio; ut perceptio cum displicentia, faciunt dolorem ex carne; aliter tamen & aliter: Quia perceptio se habet ad talem dolorem materialiter, Displicentia verò formaliter, perceptio enim non est ipsa displicentia: sed posset esse materia displicentiae.

qui potest esse secundum omnē sensum, non prior.

EX HOC autem apparere posset quod secundūm quemlibet sensum possit effet dolor ex carne, qui sicut in subiecto, sit in appetitu & incipiat à perceptione, & terminetur ad displicantiam: Qui dolor tristitia dici posset, ut idem August. innuit. eodem libro &c. per quemlibet enim sensum possumus aliqua percipere, quæ nobis displicant. Sed primus dolor, qui incipit à læsione carnis, & terminatur ad perceptionem læsionis, non est nisi secundūm sensum tactus; Nam læsio carnis est passio, quæ magis facta abijcit à substantia: non estque propriè secundūm alios sensus: sed solum secundūm sensum tactus, objecta enim tangibilia sunt illa quæ corrumpunt animal, non sunt propriè objecta aliorum sensum. Dolor ergo, qui est in sensu, sicut in subiecto, est propriè in sensu tactus. ominis autem alius Dolor, sicut in subiecto, est in appetitu; & est idem quod tristitia, vel est idem quod dissensio appetitus.

VISO, QVID dicendū sit de dolore, in quo sit tanquam in subiecto de levi

patere potest, quid dicendum sit de illa delectatione, quæ erit in visione patriæ, in quo sit tanquam in subiecto? Dicemus enim quod nullus dolor sit in sensu, nisi qui est secundūm qualitates valde materiales; Nam tactus magis immutatur materialiter, quam aliquis alius sensus: Vel quod nullus dolor sit in sensu, nisi qui sit per passionem, quæ magis facta abijcit à substantia. Si ergo in alijs sensibus à senti tactus, quia non immutantur ita materialiter & quia in ejis passiones magis factæ non abijciunt à substantia non sit dolor sicut in subiecto; sed omnis dolor, vel delectatio, secundūm tales sensus, sicut in subiecto, sit in appetitu; Intellectus, qui magis immaterialiter recipit, sicut in subiecto, non habebit in se dolorem, vel delectationē: sed si quæ talia per intellectū ortum habeant, in voluntate erunt, sicut in subiecto. Delectatio ergo, quæ erit ex visione gloriæ sicut in subiecto, erit in voluntate.

Vnde delectatio, quæ est ex visione patriæ, est in voluntate.

VTRVM autem possit in ipso intellectū esse dolor, sicut in subiecto: non est praesentis speculationis: In quibusdam jecto? tamen nostris questionibus disputatis & in nostro 2. quolibet disputavimus de cruciatu, qui fiet virtute divina per ignem inferni, Declaravimus quod in animabus separatis, & in dæmonibus intellectus se habeat quasi sensus & sit ibi dolor, sicut in subiecto: ita quod sicut nos dolemus quod sentiamus dolorem, & sicut nihil est aliud dolere, quam percipere vel sentire læsionem, Sic anima separata doleat & cremetur, quod, se videat cremari; ut dicunt Gregorius in dialogo suo. Ille enim ignis aliquam speciem virtute divina immittit, vel imprimit in intellectu tam dæmonis, quam animæ separatae, quam speciem tam anima, quam dæmon percipit tanquam speciem alterius læsivi, & illa perceptio læsionis est verè dolor.

Sed de hoc in praesenti speculatione non agitur; Ex materialitate enim objecti est, secundūm hunc ordinem quem videmus, quod dolor pertineat ad potentiam cognitivam: In illa autem visione dei non est tanta materialitas; ac ideo delectatio, quæ inde consurget, ad voluntatem pertinebit, ibenim est visio, & quod ex visione oritur: ipsa autem visio non est delectatio sed est delectio

Vtrum, & quomodo dolor sit in intellectu

videat & quomodo sentiantur dæmoni

delectationis materia. Sed complacentia ex illa visione erit delectatio, illa ergo delectatio, secundum quod spectat ad presentem speculationem, non assimilabitur dolori in carne, qui incipit à laesione, & terminatur ad perceptionem: sed assimilabitur dolori ex carne, qui incipit à perceptione & terminatur ad diffensionem, sive ad displicantiam; Ut tamen sit similitudo in contrarium: quia illa delectatio incipit à visione, & terminatur non ad displicantiam, sed ad complacentiam, sed quidquid sit de dolore in carne, tamen quia dolor ex carne est in appetitu, delectatio illa in appetitu erit.

AD ARGUMENTVM autem in contrarium dicendum, quod non solum secundum varios sensus, sed etiam secundum omnes sensus possit esse delectatio in appetitu. Nam, ut patet in 2. de anima; ubicumque est sensus, ibi est fantasia, id est motus factus à sensu & appetitu. licet ergo sint varij sensus; tamen ex omnibus sensibus fit in nobis fantasia: ex ipsa autem fantasia in nobis facta potest oriri delectatio & tristitia in appetitu.

## DISPV TATIO

S E X T A.

*De anima hominis separata.*




E INDE quererebatur de pertinentibus ad animam: anima autem potest considerari dupliciter, Vel ut habet esse conjunctum, Vel ut habet esse separatum a corpore. Circa utrumque quærebatur, scilicet quantū ad statum separationis, & quantum ad statum conjunctionis: quantū ad statū separationis, quærebatur de anima dupliciter: primo de ejus intelligere, Vtrū anima separata intelligeret cum discursu? Secundo de ejus agere, vel de ejus movere? Vtrū anima separata posset movere aliquid corpus?

## QVÆSTIO I. QVODLIBETI XVI.

*Vtrum anima separata intelligat  
cum discursu?*

Hanc quæstionem tractat Egidius loco à se hic citato D. Thom. qu. 24. de verit. a. 11. & l. cont. gent. c. 48. Cajet. r. p. q. 89. 2. 5. Richard. 3. d. 31. Occam. in 4. q. 12. 2. 2. Mendoza de an. d. 18. f. 5.

Egidius verò respondet hīc iuxta ordinem quem habet in textu:



D PRIMVM sic arguebatur, & ostendebatur quod anima separata intelligat cū discursu: quia, ut dicebatur, ubi eadem natura ibi est eadem operatio: sed eandē naturā habet anima separata & conjuncta habebit ergo eandem operationem: sed anima conjuncta habet hanc operationem, quod intelligat cū discursu ergo & separata.

IN CONTRARIVM EST, quia quod non intelligit cum fantasmate non intelligit cum discursu: sed anima separata non intelligit cū fantasmatē; cū fantasmatia sit virtus organica, & ipsa nullam habeat virtutem organicam: ergo &c.

## R E S O L V T I O

Cum per discursum intelligere sit necessarium, ut acquiratur scientia per partes: anima autem separata habeat totam scientiam suam simul, non indiget discursu ad intelligendum: quamvis interim ab ipsis intelligere non sit removenda omnis compōsitione.

**R**ESPONDENDO dicendum quid, & quomodo in hac quæstione sic procedemus; primò declarabimus, quomodo nobis competat intelligere componendo, & dividendo, & etiam discurrendo? Secundò ex his, quae sunt in nobis, procedemus ad declarandam veritatem quæsitam; utrum talia sint in anima separata?

SCIENDVM ERGO quod intelligere componendo & dividendo, & intelligere cū discursu dupliciter conveniant: & in eo ex quo oriuntur, & in eo in quo

quid, &  
quomodo  
tractandus

Intelligere  
componen-  
do dividen-  
do in quo  
conve-  
niant scilicet  
in pain-  
cipio, & in  
termino,

quod reducuntur. Conveniunt quidam ista in eo, ex quo oriuntur, quia utrumque horum videtur procedere ex defectu intellectualis luminis: quia enim nostrum lumen intellectuale est debile, non statim cum percipimus subjectum percipimus praedicatum. Imò intelligimus componendo predicatum cum subjecto, formando propositionem affirmativam: vel intelligimus dividendo praedicatum à subjecto, formando propositionem negatiyam. Sed si statim cognito subjecto cognosceremus quæ competunt subjecto vel quæ removentur ab ipso, intelligeremus componendo, vel dividendo: sed secundum simplicem intuitum esset nostra intellectualis cognitionis.

primum ob defectum  
luminis nostri naturæ  
lis. Ex isto autem eodem defectu evenit quod intelligamus cum discursu: ut, quia debile habemus lumen intellectuale, non statim cognitis principijs cognoscimus conclusiones: nec statim cognitâ causa cognoscimus effectum. Imò discurremus à principijs ad conclusiones: vel discurremus à causâ ad effectum: ubi nostra cognitione incipit à priori, ut in metaphysicis, ubi eadem sunt priora nobis & simpliciter: vel discurremus ab affectibus ad causam; ut in naturalibus, ubi nostra cognitione incipit à posteriore; ubi innata est nobis via procedere ex prioribus & notioribus nobis in priora & notiora simpliciter: vel in priora & notiora naturæ. Ergo omnia hæc competunt nobis ex debilitate luminis intellectualis.

Angeli autem sive intelligentiae quia habent lumen intellectuale forte & perspicax, non intelligunt componendo & dividendo: sed statim cognito subjecto cognoscunt quæ competunt subjecto: nec intelligunt discurrendo: sed statim cognitâ causa cognoscunt effectum.

Bene ergo dictum est, quod intelligere componendo & dividendo, & intelligere cum discursu ex eodem sumant ortum; ut ex debilitate luminis intellectus.  
quia refer-  
tur in intel-  
lectum dif-  
finitivum ut in intellectum simplicem: nam ad  
esse simili-  
ad intellectum simplicem spectat for-  
cem.

mare diffinitionem; sicut ad intellectum compositum enuntiationem: enunciatio autem, ut cum enunciatur proprietas aliqua de subiecto, potest reduci in diffinitionem proprietatis: quia in hujusmodi diffinitione positum est ipsum subiectum; illam enim cognitionem, quam habemus per enunciationem, qua dicimus, natus est simus, habemus per solam diffinitionem simi, cujus diffinitio est, natus cavus.

Intelligere etiā cum discursu reducitur in intellectū simplicem. Nam prius quam habeamus cognitionem de eclipsis lunæ, discurremus ut juveniamus causam, & inventâ causa demonstramus effectum; ut inventa interpositione terræ, formamus filogismum demonstrativum, & concludimus eclipsis de luna. Verum quia totam illam cognitionem, quam habemus discurrendo, formando filogismum hunc demonstrativum; corpus luminosum privatum lumine objectu terræ eclipsatur: luna est hujusmodi; ergo eclipsatur, habemus per solam diffinitionem eclipsis: nam quia eclipsis est privatio luminis in luna objectu terræ, intelligens diffinitionem eclipsis, habet totam illam cognitionem eclipsis, quæ concluditur per filogismum demonstrativum: quia, ut dictum est, formatio diffinitionis reducitur ad intellectum simplicem: unde si cognitione habita discurrendo per filogismum demonstrativum reducatur in cognitionem habitam per diffinitionem; consequens est quod intelligere cum discursu educatur ad intellectum simplicem:

EX HOC autem posset apparere expositio illius dicti *Philosophi in posterioribus*, quod diffinitio vel demonstrationis conclusio, vel demonstrationis principiū, vel tota demonstratio sit positione differens. Diffinitio enim congregans quid & propter quid passionis est tota demonstratio positione differens: quia omnem illam cognitionem, quam habemus per demonstrationem, possumus habere per hujusmodi diffinitionem. Hujusmodi autem diffinitio differt positione à demonstratione quia non est situata cum discursu, sicut ipsa

ipsa demonstratio : ut patet in exemplo proposito. Nam privatio luminis in luna dicit quid eclysis ? objectum terræ sive interpositio terræ dicit caussam & per quid sit eclypsis? Si autem totum istud simpliter congregetur & dicatur , quod eclypsis sit privatio luminis in luna objectu terræ , habemus per diffinitionem totam illam cognitionem, quamvis habeamus discurrendo, & formando sillogismum demonstrativum concludentem eclypsim de luna tamquam proprietatem de subjecto.

id est; intelligentem quidditates rerum & formantem diffinitiones.

Bene itaque dictum est , quod antea dicebamus, quod intelligere componendo, & dividendo & intelligere cum discursu ex eodem orientur : Quia quodlibet horum ortum habet ex debilitate luminis intellectualis. Et in idem reducantur: quia quodlibet horum reduci potest in intellectum diffinitionis, sive intellectum simplicem intelligentem quantitates rerum & formantem diffinitiones.

in qua re, discursus; non compositione.

Advertendum tamen quod compositione nunquam sic reducatur in intellectum simplicem,cum nulla sit ibi compositione: sed intelligere cum discursu sic potest reduci in intellectum simplicem , ut secundum quod hujusmodi nullus sit ibi discursus ; Si enim formare propositionem spectet ad intellectum componentem , formare autem diffinitionem ad intellectum simplicem: Etsi cognitio habita per enunciationem possit haberi per diffinitionem , In illa tamen diffinitione erit compositione aliqua ; tesi enim cognitio , quæ habetur componendo proprietatem cum subiecto possit haberi per diffinitionem proprietatis, in qua includitur ipsa substantia , Diffinitio illa proprietatis non excludit omnem compositionem : imo reservabitur in ea quidam compositionis modus, inde dictum est in 7. *metaphysicae* quod accidentia non habeant quantitatem simplicem , sed per additamenta : Nam non solum in diffinitione proprietatum, sed etiam in diffinitione substantiarum, quæ magis habent quantitatem simplicem , reservatur aliquis compositionis modus: qui aut dicitur in eodem. 7. *omnis diffinitio sermo*: & omnis sermo habet ha-

bet partes : & est proportio partium sermonis ad partes rei, quæ est totius diffinitionis ad totam rem , quod si ne compositione esse non posset.

Sed non sic est de discursu : Nam licet in acquirendo scientiam factus fuerit discursus & formatus sillogismus; tamen postquam jam habemus scientiam acquisitam ipsa diffinitione, quæ est virtualiter tota demonstratio , intelligimus proprietatem inesse subjecto, absque alio discursu.

Videtur ergo quod non eodem modo comparetur ad scienciam discursus & compositione : quia in acquirendo scienciam , & ut intelligamus passiones inesse subjectis indigemus discursu. Sed jam acquisita scientia in sola diffinitione possumus hoc intelligere, absque aliquo alio discursu. Sed non sic est de compositione: quia quantumcumque reducamus intellectum compositum in intellectum simplicem; non tamen propter hoc ille intellectus simplex erit immunis ab omni compositione ; quia in ipso intellectu simplicium & in ipsa formatione diffinitionis est aliquis compositionis modus. Intelligere ergo cum discursu videtur necessarium propter acquirere scienciam per partes , & non habere

discursus autem necessarius, quando acquiritur scientia per partes.

scienciam totam simul : ideo indigimus logica ne erreremus in ratiocinando & discurrendo: si & haberemus scientiam totam simul , non indigeremus logica , nec indigeremus intelligere cum discursu : Sed in ipsis diffinitionibus passionum intelligeremus passiones inesse subjectis , quod ad scientiam pertinet.

Hic non indiger anima separata : anima separata dicitur; cum habeat scientiam suam totam simul.

His itaque prælibatis patet , quid censendum sit e anima separata : Nam cum anima separata habeat suam scientiam totam simul undecumque contingat acquitatio illius scientiae , sive ab ideis divinis, sive à substantijs separatis, concedimus quod animæ separatae non indigeant logica , nec intelligant cum discursu : non tamen propter hoc excludimus intelligere ipsarum ab omni compositionis modo.

Quod si vero in earum intelligere sit aliquis modus compositionis , dicimus , quod intelligere dei , angeli, animæ separatae , & nostrum sic distinguuntur

guuntur: Quia intelligere Dei nec est discursivum, nec compositivum: sed est omnino simplex & unitum, ut uno intuitu omnia cognoscat. Intelligere Angeli non est discursivum, nec tamen est sic simplex & unum ut uno intuitu omnia cognoscat. Intelligere animæ separatae nec est discursivum, nec simpliciter unitum, quod uno intuitu omnia cognoscat; quia hoc nec Angelus habet: forte tamen in illo intelligere ipsius animæ separatae est aliquis compositionis modus: sed de hoc in opere, quod intendimus facere domino, concedente, super secundo sententiarum, Vtrum sit ibi compositio, vel non? intendimus pertractare. Nostrum autem intelligere ex omni parte est defectivum: quia intelligimus componendo & discurrendo, & uno simplici intuitu non possumus omnia intelligere.

**AD ARGVMENTVM** in contrarium dicendum, quod, licet sit eadem natura animæ separatae & conjunctæ; tamen quia non habet eundem modum effendi, vel quia separata à corpore potest se magis libere suprà seipsum convertere, quam possit ut est corpori corruptibili conjuncta; ideo non valet, si nunc intelligat cum discursu, quod & tunc indigeat discurrere, ut intelligat. Immò, quia conjuncta corpori acquirit scientiam per partes, separata verò infunditur scientia tota simul: & quia acquisitioni scientiæ per partes competit discrus, & maximè cum naturale sit, quod sic procedatur; Acquisitioni autem, quæ sit tota simul etiam naturale sit, quod nec fiat nec ei competat discrus: Ideo anima separata non indiget discurrere, ut intelligat.

Eadem est ergò natura animæ separatae & conjunctæ: Tamen quia non habet eundem modum effendi, multa sunt ei naturalia ut est conjuncta, quæ non sunt ei naturalia, ut est separata, & maximè ut est conjuncta corpori corruptibili, quod aggravat animam. De corpore autem, quod habebit post resurrectionem aliter dicendum est.

## QVÆSTIO II.


## QVODLIBETI XVII.

*Vtrum anima separata possit movere aliquod corpus?*

Hanc questionem decidere possumus ex ijs quæ haber Aegidius loco à se hic curato: & de motu activo Locali angelorum in 2. d. 8. q. 1. dub. lat. 1. & eam tractant D. Th. 1. p. 1q. 110. a. 3. & 117. a. 4. & 16. de malo. a. 10. Cajet. 1. p. 4117. Scot. 4. d. 49. q. 14. Basiol. q. 2. Durand. 3. d. 22. q. 3. n. 4.

Aureolus apud Capreolum in 4. d. 50. q. 2. a. 1. Alphonsus de Mendoza noster q. 5. quodlibetica, & aliis alibi.

*Aegidius verò hic ponit sententias duas, negativam primò, inde aff. quam posteriore amplectitur: & resolvit fundamenta adversariorum.*



ECVNDO quærebatur de agere, sive de movere ipsius animæ separatae, utrum possit movere aliquod corpus? & arguebatur quòd non: Quia hoc est ultimum quod potest Angelus; movere corpora. Nam cum duplex sit motus; ad formam, & ad ubi, non potest Angelus movere corpora ad formam; sed ad ubi. Hoc est ergo ultimum, quòd possit Angelus, movere corpora ad ubi. Sed anima non tantùm potest, quantum Angelus, ergò non poterit in hunc effectum, qui est, movere corpora.

**IN CONTRARIUM EST** quod quilibet spiritus sit præstantior omni corpore: sed potest unum corpus movere aliud corpus ad ubi: ergò multo magis hoc potest anima:

## R E S O L V T I O.

*Licet anima conjuncta corpori determinatè respiciat hoc suum corpus proprium, quod attingit per essentiam, non per voluntatem, & intellectum: & tametsi melius sit intelligere animæ separatae, quam conjunctæ: tamen anima separata potest movere*

*Vere corpus, quia semper determinata est  
habet unionem ad aliquid corpus; non  
per essentiam, sed per potentiam, qua cor-  
pus non transmutet, ast moveat ad ubi.*

quoniam  
sententia  
negativa, &  
duplex eo  
rum funda-  
mentum.

corpus est  
propter  
animam,  
non contra.

epposita  
sententia af-  
fir. ostendi-  
tur.

nam semi-  
per habet  
unionem ad  
aliquid  
corpus, non  
per essen-  
tiam;

**R**ESPONDENDVM, quosdam sensisse, quod anima non possit movere corpus ad ubi: ad quod ponendum duplii motivo moveri poterant. Primo quidem, quia anima determinate respicit hoc corpus: jmo nullum potest movere corpus, nisi corpus proprium: Separata autem à corpore proprio illud movere non posset, eò quod factum sit ei inhabile, ad motum: hinc aliud corpus movere non poterit.

Secundò moveri possunt ad hoc ponendum ex eo quod negent, animam habere cognitionem singularium: Vult enim, quantum ad hoc, & bene, quod corpus sit propter animam, & non è converso: Si ergo anima haberet distinctam cognitionem de singularibus separata à corpore, sicut habet corpori conjuncta, videretur quod in nullo esset melius animæ; imo deterius ex unione ad corpus: Sed ipsum corpus esset inde melius, quia animaretur & viveret ex unione ad animam. Esset ergo anima propter corpus; id est propter bonum corporis; non autem corpus propter animam, id est propter bonum animæ. Ut ergo salvent, corpus esse propter bonum animæ, sustinent quod anima conjuncta corpori habeat distinctam cognitionem de singularibus, quam non habeat separata.

SED QVOD ANIMA possit movere aliquod corpus à corpore separata, sic potest ostendi: Nam separata à corpore proprio aliquam unionem habet ad aliquid corpus: quia cum sit pars universi, quantumcunque separata à corpore, determinatè est in aliquo loco corporali: Nam si Angeli, qui sunt substantiae magis excellentes, determinentur ad aliquem corporalem locum, multo magis, & animæ quantumcunque separatæ.

Huiusmodi autem unionem ad corpus non habebit anima separata secundum esseentiam, quia tunc ex ea & illo corpore fieret unum secundum esse: Habe-

bit ergo hujusmodi unionem median- te virtute, vel mediante potentia. Sed sed per po- quod substantia spiritualis uniatur cor- poribus mediante virtute, vel median- te potentia, & non habeat potentiam in corpore, est dicere quodammodo oppositum in objecto. Nam sicut uniri per essentiam est facere unum secundum esse, sic uniti per virtutem vel potentiam est facere unum secun- dum operationem: quia à potentia est operari & agere.

DICEMVS ergo quod tam Ange- lus, quam anima separata possit se applicare corpori per suam potentiam corpori, si quam habet, & ex illa applicatione, si vult, sequitur operatio in ipsum cor- pus: dum tamen corpus hujusmodi fit operationis suscepit. Ope- ratio autem illa non poterit esse trans- mutatio ad formam: quia nec hoc Angeli possunt: sed erit transmutatio ad ubi. Sequendo autem com- muniorum opinionem; quod ab eisdem ideis divinis, à quibus fluxerunt species in mentes Angelorum, fluant species in animam separatam; si intelle- ctus Angelii propter apprehensionem, quam habet, potest movere corpus poterit hoc & anima:

Non erit autem tantæ virtutis intel- lectus animæ, sicut Angeli, nec poterit moovere tantum corpus nec æquè ve- lociter, sicut Angeli: sed quod nullius fit virtutis, & quod non possit move- re aliquod corpus, est inconveniens dicere. Ut enim patuit in quæstioni- bus nostris, quas disputavimus de ope- ribus Angelorum: Angelus per speciem lapidis, quam habet apud se, non po- test lapidem efficere; quia lapis est for- ma in materia: Imo non potest lapidem, vel aliquid aliud materiale transmutare ad formam, nisi quod habet materiam essentialiter, vel quod habet eam vir- tualiter: Et quia solus deus virtualiter habet materiam, posset producere totum; consequenter posset producere ipsam materiam: Quia igitur in vir- tute Dei & in ejus potentia continetur ipsa materia; ideo totam actionem ha- bet circa hanc materialia: Sed quia nul- li creaturæ hoc potest competere, quod in sua virtute habeat materiam; quia non agit nisi quod est virtualiter tale,

# QVÆSTIO DECIMA SEPTIMA

245

tale, vel essentialiter; nulla creatura, secundum naturæ cursum, potest transmutare materiam, nisi quæ habeat materiam partem sui.

*logi recitat de anima Paschafij quod locata fuerit Cermatio Episcopo capuano.*

Nec est dicendum quod semper tales locutiones & tales motiones fiant per Angelos vel dæmones: quia tunc anima non loquitur sed aliqua spiritualis substancia loqueretur pro ea: cum hoc non tantu sentiant verba Greg. jmo vult quod anima Paschafij sic loqueretur.

Quærunt ergo negantes àmmam separata posse mouere corpus, quasdam difficultates sibi solvi: sed non concludunt intentum.

OSTENSO, quid senseris aliqui de anima separata; utrum possit mouere corpus; & adductis rationibus ad propositum, quod possit corpus movera? Volumus solvere difficultates tactas, propter quas aliqui negaverint quod anima posset mouere corpus: unde cum dicitur quod anima determinate respiciat corpus proprium: &, quod nullum aliud possit mouere corpus naturale, nisi proprium; Dicemus

quod anima conjuncta corpori proprio attingat corpus per essentiam: jmo per intellectum & voluntatem, quæ fundantur in ipsa essentia animæ, non immediate attingat corpus: nec possit per hujusmodi potentias mouere corpus: sed movet corpus per virtutem organicam: & quia per illam virtutem non potest immediate attingere, nisi corpus proprium; jdeo non possit mouere immediate nisi corpus proprium Eo ergo anima movet corpus, secundum quod per potentiam & virtutem suam potest corpus attingere: & quia conjuncta terminatur ad proprium corpus: sic ut per potentiam immediate non attingat, nisi proprium corpus: jmo conjuncta corpori proprio nihil per se & propriè movet, nisi proprium corpus: Separata vero, quia non determinatur ad hoc corpus, vel ad illud: sed per intellectum & voluntatem potest se conjungere nunc huic corpori, nunc illi, jdeo potest mouere hoc corpus vel illud, secundum quod suæ placet voluntati.

QVOD vero addebatur, quod est corpus tunc esset anima propter corpus & non contra non è converso: Dicil ad hoc debet, quod quantumcunque sit simpliciter melius intelligere animæ separatae,

Hh 3

quia

nihil immutat nisi inmaterialē transmutat materiale: verum est de agente creato & de transmutatione ad formam. Sed licet Angelus non determinetur ad materiam essentialiter, quia non habet materiam partem suæ essentiæ, quia non habet formam in materia: Determinatur tamen ad materiam locanter; quia determinata est in aliquo materiali loco. Propter ergo apprehensionem, quam habet de forma, quia ipse non est forma in materia, non potest transmutare corpus ad formam: sed propter apprehensionem, quam habet de loco, quia ipse determinata est in aliquo corporali loco, poterit transmutare corpus secundum locum: Semper enim magis formale agit in minus formale, dum tamen sit determinatus ordo inter utrumque.

Et quia hujusmodi determinatio salvatur inter substantiam spiritualem & corporalem secundum locum, non secundum formatum: jdeo substantiae spirituales, quæ sunt formaliores omni corpore, poterunt mouere corpus secundum locum, non secundum formam. Et quia animæ separatae sunt formaliores omni corpore: & quia ipse determinatae sunt in aliquo corporali loco, jdeo possunt mouere corpus secundum locum tam illa corpora sint susceptiva motionis localis; & non excedant virtutem animæ.

IGITVR ET ex parte idearum divinarum, à quibus, secundum communem opinionem, fluunt species in animas separatas, sicut & in Angelos: & ex parte determinationis localis, quia determinata est anima in aliquo corporali loco, sicut & Angelus; arguere, possumus; quod anima possit mouere corpora, sicut & Angelus: sicut non tam magnum, nec tam velociter sicut Angelus. Concordat enim hoc dictis sanctorum: quia multotiens invenimus à sanctis, animas aliquorum mortuorum apparuisse, & locutas fuisse: quod non est sine motione aëris: unde relinquitur, hujusmodi animas posse mouere corpus. unde & Gregorius IV Dia-

quām conjuncte; adhuc tamen sustinere possimus, quod magis sit corpus propter animā, quām ē converso Quod tricliniter, potest declarari. Primo ex esse animā. Secundo ex perfectione. Tertio ex felicitate ipsius.

*1. ex esse animā.* Primum sic patet: Nam et si per omnem modum anima separata habeat nobilius esse, quam conjuncta: tamen quia secundum naturae cursum non potest anima acquirere esse, nisi in corpore, magnum bonum est anima quod uniat corpori: cum acquirat esse in corpore.

*2. ex ejus perfectione.* Secundo hoc idem patet ex perfectione animae. Nam quia anima in corpore utitur omnia sensibus, quibus non posset uti à corpore separata: sicut ad perfectionem artis est, quod possit uti proprijs organis, ita est ad perfectionem animae, quod possit uti proprijs sensibus: est ergo corpus propter animam & ad bonum animae quia in corpore potest anima suas operationes perficere.

*3. ex ejus felicitate.* Tertio hoc idem patet ex felicitate animae. Quia bonum est animae uniri corpori, ut recte vivendo in corpore, cum ipso in corpore tempore resurrectionis transferatur in melius: & cum Christo & cum angelis vivat in æternum: unde Dicit Aug. 10. *sup. gen. ad literam;* bonum est ergo anima uniri corpori, ut beatitudinem suam mereatur in corpore.

AD argumentum autem in contrarium, quod anima non posset movere corpus: quia hoc est ultimum quod posset Angelus; & anima potest minus, quam Angelus: Dici debet, quod in illo ultimo sint multi gradus: nam in movendo corpora est dare majus & minus; anima enim minus potest, quam Angelus: non quod nullum corpus sic movere possit: sed quod non posset movere tam magnum corpus sicut Angelus.

## DISPUTATIO

S E P T I M A

*De virtutibus animae.*



E N D E quæ rebarur de anima conjuncta: & quia in hujusmodi anima sunt virtutes & potentiae; ideo aliqua quærebantur de virtutibus animae: Aliqua de potentijs Virtus autem animae potest comparari ad potentiam, quam perficit, & ad opus, quod efficit: ideo circa virtutes erat duplex quæstio; una per comparationem ad potentiam, Vtrum aliqua virtus, & potissimum, utrum iustitia sit in voluntate tamquam in subiecto? Alia quæstio erat de virtutibus per comparationem ad actus, sive ad opera; Vtrum actus præcedentes virtutem sint nobiores virtute?

## QVÆSTIO I.

### QVODLIBETI XVIII.

*Vtrum iustitia vel aliqua virtus moralis sit in voluntate tamquam in subiecto.*

De hac quæstione videantur auctores cum Egidio quodl. 2. q. 19. citati. videatur Argent: 3. d. 33 D. Th. 1. 2. q. 56. cum cajet: ibidem Medin. ibid. Scotus d. citat: q. un. Bassol. qu. in Durand. q. 5. Occa. q. 13. Capreol. q. un. vasq. 2. p. disp. disp. 87. Conimbr. d. 7. in lib. Ethicorum & alij alib

*Egidius vero hic distinguit inter habitus intellectuales & morales. inde docet tam hos, quam illos posse versari circa idem objectum materiale: iustitiam vero computat inter virtutes morales, quam dividit in legalem & particularem, & illam dicit esse virtutis generalis; quia exequitur opera omnium virtutum, sive versatur circa omnium objecta. Sed quia tam legalis, quam particularis objectum formale non attinet appetitus sensibus, concludit in eo non subiectari iustitiam, sed in voluntate.*

AD

## QVÆSTIO I

QVODLIBETI XVIII.

*Vtrum iustitia vel aliqua virtus moralis sit in voluntate tamquam in subiecto.*

De hac questione videantur auctores cum *Aeg* d. o quod l. 2. q. 19. citati. videatur *Argent*: 3. a. 33. D. l. h. 1. 2. q. 56. cum *Cajet*: ibidem *Medin*. ibid. *Scotus* d. c. t. q. un. *Baffol*. qu. 1. *Durand* q. 5. *Ocean*. q. 13. *Capreol*. q. un. *vasq*. 1. 2. d. sp. 87. *Couimbr*. d. 7. in lib. Eth. *co*rum & alij alibi.

*Aegidius* vero hic distinguit inter habitus intellectuales & morales: inde docet tam hos, quam illos posse versari circa idem objectum materiale: *Iustitiam* vero computat inter virtutes morales, quam dividit in legalem & particularem, & illam dicit esse virtutem generalē, quia exequitur opera omnium virtutū, sive versatur circa omnium obiecta; sed quia tam *legalis*, quam *particularis* obiectum formale non attingit appetitus sensitivus, concludit in eo non subjectari *iustitiam*, sed in voluntate.



**D** PRIMVM sic arguebatur, quod nulla virtus, moralis, nec etiam *justitia*, esset involuntate; quia, ut dicebatur, *in principio magnorum moralium*. Vult. *Philosophus* quod *in irrationali* sit *iustitia*, & *fortitudo* ergo cum voluntas pertineat ad partem rationalem, eò quod non sit virtus organica, in ea non erit *justitia*.

Præterea cum voluntas sit libera, si in voluntate esset virtus moralis; illa virtus esset nobilior omni virtute intellectuali: quod videtur inconveniens.

**I**N CONTRATIVM est *Philosophus* in 5. ethicorum quod *iustitia* est *habitus à quo iusta operantur & iusta volunt*: pertinet ergo *justitia* ad voluntatem.

## RESOLVATIO

*Quandoquidem iustitia pro objecto formalis habeat vel impletionem legis, ut *justitia legalis*; vel remotionem injurie, ut *justitia particularis*; & circa illa non perfetur appetitus sensitivus, non potest in eo subjectari: quamvis possent multæ aliæ virtutes: subjectatur vero in appetitu rationali, sive voluntate.*

**R** ESPONDENDO dicendum quod *Philosophus* in 2. Ethicorum distinguat duplē vir-  
tutem, sicut duplē habitum; in-  
tellectualē scilicet & moralē. per  
ea autem, quæ videmus in genere  
habituum intellectualium, in multis  
possimus juvari ad ea, quæ ponere  
debemus in habitibus moralibus; &  
è converso.

Sic autem videmus in habitibus intel-  
lectualibus, quod non sit inconveniens & sicut ali-  
num & idem aliter acceptum esse de quid diver-  
so modo consideratione diversarū scientiarum: considera-  
ut materia prima in eo quod ens per-  
tinet ad considerationem metaphysici: spectare ad  
In eo vero quod est subjecta trans-  
mutationi & motui est de confide-  
ratione philosophi naturalis: & sicut  
unum & idem aliter & aliter con-  
sideratum potest pertinere ad diversas  
sciencias, sive ad diversos habitus in-  
tellectuales, sic etiā ad morales.

Sic etiam unum & idem aliter &  
aliter consideratum potest pertinere ad  
diversas virtutes, sive ad diversos ha-  
bitus morales; ut idem opus pertine-  
re potest ad liberalitatem, & ad ma-  
gnanimitatem, & ad *justitiam legalem*:  
ut qui vult subvenire proximo, vel  
facere aliquem sumptum pro alio, vel  
hoc facit quia placet sibi sumptum fa-  
cere, & delectatur in ipso actu; &  
tunc erit opus liberalitatis: Vel placet  
sibi, qua vult honorem consequi;  
& sic pertinebit ad magnanimitatem,  
quæ est circa magnos honores: vel  
pertinebit ad illam virtutem innomi-  
natam, quæ est circa honores medio-  
res. Tertiū posset hoc contingere,  
quod aliquis sic ageret, quia vellet  
imple-

quomodo  
justitia sit  
virus ge-  
neralis.

implere legem hoc principientem : & tunc erit actus justitiae legalis. Est enim justitia legalis quodammodo omnis virtus : quia implet opera omnium virtutum ; est enim hujusmodi justicia virtus generalis : non per prædicationem , quod sic se habeat ad omnes virtutes sicut genus ad species , vel quod prædicetur de omnibus virtutibus sicut genus de speciebus : Sed est virtus generalis per operum executionem , quia quodammodo exquitur omnia opera omnium virtutum . Ille est enim justus legalis , qui ideo agit opera virtutum , quia vult implere legem hoc præcipientem : propterea distincta est virtus legalis à virtutibus alijs ; Quia virtutes aliae ex hoc sumunt speciem , secundum quod est delectatio in ipsis actibus secundum se : quia signum generati habitus est delectationem fieri in operatione horum ut in 2. Ethicorum .

Liberalitas ergo sumit speciem ex actibus liberalitatis secundum se , & fortitudo ex actibus fortitudinis : sed justitia legalis exequitur opera omnium virtutum , & non sumit speciem ex ipsis actibus secundum se : sed prout per executionem hujusmodi actuum est adimpletio legis : propter quod , ut dicebamus , hujusmodi virtus distincta est à virtutibus alijs ; quia modo distincto speciem sumit . Est tamen quodammodo omnes virtutes : quia intentio legislatoris est inducere cives ad virtutes ; spectat autem ad legem quodammodo præcipere opera omnium virtutum . Velle ergo implere legem est quodammodo velle agere opera cujuscumque virtutis .

Et sicut est in virtutibus , quod idem possit esse opus diversarum virtutum : sic & in vitiis , quod idem possit esse opus diversorum habituum vitiosorum . Ut qui furatur ut mæchetur non est tam fur , quam mæchus : sed si furatur ut furetur , furi debet . ipsum ergo furari posset esse actus furis & mæchi . sicut etiam qui aliena accipit , concupiscentia rerum ductus , avarus est . Qui vero solum ut injurietur injustus est .

EX HOC ergo possumus distingue re justitiam particularem à generali ,

& possumus accipere in quo consi-  
guomodo  
stat ratio justitiae particularis . Dice-  
mus enim quod justitia generalis agat tur legalis  
opera omnium virtutum , non se-  
cundum se sed ut legem impleat .  
Sed justitia particularis , quæ est in  
commutationibus & distributionibus & quare  
habet speciale materiam sub hac hæc dicatur  
intentione ut nulli injurietur . Et invenire  
inde est , quod hæc virtus dicatur medium  
invenire medium rei : Aliæ vero vir-  
tutes morales dicantur se habere cir-  
ca medium passionum Hæc enim unde deduc-  
ipsas res , morales vero virtutes mo-  
derantur passiones . si ergo justitia in  
ipsis rebus ponat medium , ut non fiat alteri injuria : non erit hujusmodi  
virtus in appetitu sensitivo : fed erit  
in voluntate , vel in appetitu intelle-  
ctivo : Nam appetitus sensitivus fertur  
in res , secundum concupiscentiani ,  
quam habet de rebus : vel fertur in  
res , secundum quod insurgunt in eo  
passiones ex appetitu rerum . Ferri  
autem in ipsas res ut inveniatur me-  
dium in rebus , ne fiat alteri injuria , ad  
appetitum sensitivum spectare non potest .

CIRCA igitur ipsas res , circa quas est justitia , possunt esse plures virtutes tametsi in  
morales : quorum subjectum est ap- hoc reperi-  
petitus sensitivus , prout insurgunt in antur plu-  
nobis passiones ex ipsis rebus quas o- res aliae  
portet moderari & refrenare : Nam versantes  
non est inconveniens circa eandem circa can-  
materiam & circa eosdem actus alia dem rema  
& alia intentione factos plures versari  
virtutes . Attamen circa hujusmodi  
res , circa quas est justitia particularis ,  
non principaliter ut refrenentur pas-  
siones , sed ut inveniatur ibi medium  
non versatur appetitus sensitivus . Si  
ergo justitia est hujusmodi virtus non  
erit in appetitu sensitivo : Erit ergo  
in intellectivo , sive in voluntate .

AD PRIMVM dicendum quod  
possit dici duplicitate rationale per  
essentiam : Vnomodo , ut dicatur per aliquid di-  
pliciter  
essentiam rationale quicquid est per circut ratio-  
nale .  
essentiam non organicum : & hoc  
modo voluntas pertinet ad partem  
rationalem . Alio modo potest dici  
rationale est quod ratiocinatur & intel-  
ligit : Et sic voluntas non est rationalis  
per essentiam : sed si sit rationalis hoc  
est pro participationem , in quantum  
debet